EDICION DE LAS OBRAS COMPLETAS
DE
SANTIAGO RAMIREZ, O. P.

TOMO II

CONSEJO SUPERIOR DE INVESTIGACIONES CIENTIFICAS

JACOBUS M. RAMIREZ, O. P.

DE ANALOGIA

★★★★

EDITIO PRAEPARATA A VICTORINO RODRIGUEZ, O. P.

INSTITUTO DE FILOSOFIA "LUIS VIVES"
MADRID, 1972

NIHIL OBSTAT: *Fr. Guillelmus Fraile, O.P.*
Fr. Victorinus Rodríguez, O.P.

IMPRIMI POTEST: *Fr. Sigismundus Cascón, O.P.*
Provincialis Provinciae Hispaniae.

IMPRIMATUR: *Dr. Constantius Palomo*
Vicarius Generalis.
Salmanticae, 22 novembris 1970.

BP 431 R173 v.2 pt.4

© C. S. I. C.

DEPOSITO LEGAL: S. 334-1970
IMPRESO EN ESPAÑA
PRINTED IN SPAIN

IMPRENTA «CALATRAVA». Libreros, 9. - SALAMANCA 1972

FEEHAN MEMORIAL LIBRARY
ST. MARY OF THE LAKE SEMINARY
MUNDELEIN, ILLINOIS

B 4568 .R34 1970 v.2 pt.4

INDEX RERUM SYNTHETICUS

PRIORIS PARTIS SECTIO SECUNDA
DE DIVISIONE ANALOGIAE COMPLETUR

QUAESTIO SECUNDA.—DE SINGULIS ANALOGIAE MODIS IN PARTICULARI 1541

CAPUT I.—De propria indole analogiae simplicis inaequalitatis 1543
Art. 1.—Definitio analogiae inaequalitatis 1543
Art. 2.—Divisio analogiae inaequalitatis 1562
Art. 3.—Vindicatio analogiae realis inaequalitatis 1571

CAPUT II.—De propria indole analogiae attributionis 1651
Art. 1.—Origo denominationis 1651
Art. 2.—Notio etymologica et usualis analogiae attributionis 1665

PRIORIS PARTIS SECTIO TERTIA
DE PROPRIETATIBUS ANALOGIAE

CAPUT I.—Proprietates generales analogiae 1675
Art. 1.—Proprietates ontologicae analogiae 1676
Art. 2.—Proprietates logicae analogiae 1682

CAPUT II.—Proprietates speciales analogiae 1689
Art. 1.—Proprietates analogiae attributionis 1689
Art. 2.—Proprietates analogiae proportionalitatis 1692

PARS ALTERA.—DE USU ANALOGIAE

SECTIO PRIMA.—DE ANALOGIA ENTIS 1711

Art. 1.—Applicatio generalis notionis analogiae ad ens in quantum ens 1711
Art. 2.—Applicatio specialis notionis analogiae ad Philosophiam et ad Sacram Theologiam 1733

SECTIO SECUNDA.—DE ANALOGIA IN USUM THEOLOGIAE SACRAE COOPTANDA 1743

CAPUT I.—Theoria analogiae 1745
Art. 1.—Notio analogiae 1745
Art. 2.—Divisio analogiae 1766
Art. 3.—Proprietates seu leges analogiae 1780

CAPUT II.—Applicationes analogiae ad Sacram Theologiam. 1791

APPENDICES

I.—EN TORNO A UN FAMOSO TEXTO DE SANTO TOMAS SOBRE LA ANALOGIA 1811
II.—QUORUNDAM OPERUM RECENTIORUM DE ANALOGIA IUDICIUM AUCTORIS 1851

PRIORIS PARTIS SECTIO SECUNDA DE DIVISIONE ANALOGIAE COMPLETUR

QUAESTIO SECUNDA

DE SINGULIS ANALOGIAE MODIS IN PARTICULARI

699. Tradita generali divisione Analogiae in modos eius, naturalis rerum ordo postulat ut propriam indolem uniuscuiusque describamus.

Sunt autem, ut ex modo dictis patet, tres modi fundamentales Analogiae: modus nempe analogiae pure realis sive secundum esse tantum, qui est analogia simplicis inaequalitatis; modus analogiae proportionis simplicis sive attributionis unius vel plurium ad unum primum et principale; et modus analogiae proportionis compositae sive comparatae, duorum scilicet ad duo vel plurium ad plura, qui vocari solet analogia proportionalitatis.

Consequenter exponemus propriam indolem, primo quidem analogiae simplicis inaequalitatis; secundo, analogiae attributionis; tertio, analogiae proportionalitatis.

CAPUT I

DE PROPRIA INDOLE ANALOGIAE SIMPLICIS INAEQUALITATIS

Art. 1.— Definitio analogiae inaequalitatis

700. Aequalitas e inaequalitas circa quantitatem dicuntur. Aequalia enim sunt quae eandem habent quantitatem, non quidem numero sed specie [1]; inaequalia vero, quae diversam habent quantitatem, scilicet maiorem vel minorem [2]. Quae quidem primo dicta sunt de quantitate praedicamentali, quae quantitas dimensiva vel molis dicitur, sive continua sive discreta; postmodum vero extensa sunt ad quantitatem transcendentalem sive virtutis, quae omnia circuit genera, et talis quantitas «attenditur secundum perfectionem alicuius naturae vel

---

[1] S. THOMAS, *In IV Metaph.*, lect. 2, n. 561; *I Sent.*, d. 19, 1, 1 ad 2 et 4; *De virtutibus cardinalibus*, 3c, in principio.
[2] *In X Metaph.*, lect. 4, nn. 1999-2000; *In V Metaph.*, lect. 17, n. 1008.

formae»[1]. Aequalia ergo aequalitate quantitatis virtualis sunt quae eandem habent perfectionem in natura vel forma qua sunt vel operantur; inaequalia autem, quae diversam perfectionem habent in essendo vel operando, nempe maiorem vel minorem, iuxta illud S. Augustini: «in his quae non mole magna sunt, hoc est maius esse quod est melius [vel perfectius] esse»[2].

Patet autem analogiam inaequalitatis, de qua modo loquimur, non esse analogiam inaequalitatis mathematicae seu quantitatis praedicamentalis, sed analogiam inaequalitatis metaphysicae sive quantitatis transcendentalis aut virtutis seu perfectionis.

Sed quia huiusmodi inaequalitas multipliciter dicitur, oportet determinare secundum quem modum inaequalitatis accipiatur analogia de qua loquimur ut a ceteris analogiae modis contradistinguitur.

Sciendum est igitur quod alia est *inaequalitas mere individualis* et quasi materialis, ut est inaequalitas inter individua eiusdem speciei atomae; alia inaequalitas *specifica* vereque formalis, ut inter species eiusdem generis proximi vel remoti; alia inaequalitas *generica*, ut inter diversa praedicamenta vel genera suprema entis finiti; alia denique inaequalitas *ordinis* sive ultra generica, ut inter ens increatum, infinitum, per essentiam, et ens creatum, finitum et participatum. Multo namque maior est inaequalitas inter Deum et creaturas quam inter unam creaturam et aliam, etiamsi sint diversi generis, puta inter substantiam et accidens; et inter ipsas res creatas multo maior est inaequalitas generica quam specifica, et haec quam mere individualis: quin etiam in ipsa inaequalitate generica longe maior est inaequalitas inter substantiam et accidens quam inter diversa genera accidentium; et in ipsa inaequalitate specifica est multo maior inaequalitas inter species supremas

---

[1] *I Sent.*, d. 19, 1, 1 ad 1; d. 31, 1, 1c; I, 42, 1 ad 1.
[2] S. Augustinas, *De Trinitate*, lib. VI, cap. 8. ML 42, 929.

quam inter subalternas vel intermedias, et inter has quam inter species infimas vel atomas. Tanto enim maior est inaequalitas quanto maior est distantia inter se eorum quae inaequalia dicuntur.

Neque tamen inaequalitas horum quatuor modorum inaequalitatis est mere gradualis intra eandem speciem inaequalitatis, sed alterius rationis, sicut et ea quae inaequalia hisce diversis modis dicuntur. Nam, si vel τὸ τοσοῦτον καὶ τὸ ἴσον ὁμώνυμον[1], nimirum «si hoc ipsum quod est tantundem et aequale, quod idem est, aequivocum est, quia aequale est quod habet unam quantitatem, non est autem eadem ratio unius quantitatis in omnibus»[2]; necesse est a fortiori ipsam inaequalitatem inaequalem esse diversaeque rationis in diversis modis inaequalitatis.

Est autem differentia inter inaequalitatem specificam et genericam in eo, quod inaequalitas specifica seu inter species eiusdem generis sumitur secundum proprias earum differentias tantum, quae sunt extra rationem communis generis divisi, et non secundum rationem communem generis; inaequalitas vero generica sive inter diversa genera vel praedicamenta sumitur secundum ipsam rationem communem entis realis quod in ea dividitur, et non solum secundum proprias rationes generum in quae dividitur, eo quod ipsi diversi modi generici dividentes ens sunt etiam ens, dum differentiae specificae dividentes genus non sunt genus[3]. Propter quod genera suprema entis sunt inaequalia, non solum secundum rem, idest secundum proprias eorum rationes, puta substantiae et accidentis, verum etiam secundum ipsam communem rationem entis realis finiti quam inaequaliter participant, quia perfectius convenit ipsa ratio entis substantiae quam accidenti: at vero species in quas dividitur genus sunt inaequales secundum rem tantum,

---

[1] Aristoteles, *VII Physicorum*, cap. 4, n. (II, 339, 38).
[2] S. Thomas, *In h. l.*, lect. 7, n. 9.
[3] *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6; I-II, 61, 1 ad 1.

nempe secundum proprias earum differentias vel rationes, puta rationalis et irrationalis respectu animalis; non autem secundum ipsam communem rationem generis, puta animalis, quae aequaliter convenit rationali et irrationali [1]: qua de causa, «omnia animalia sunt *aequaliter* animalia, non tamen sunt *aequalia* animalia, sed unum animal est altero maius et perfectius» [2].

Quod autem dicitur de inaequalitate generum in ipsa communi ratione entis quam participant secundum prius et posterius, a fortiori valet de inaequalitate ordinis sive ultra generica, qualis est inter Deum et creaturam sive Ens per essentiam et ens per participationem, «sicut si diceremus quod Bonitas est melior quam bonum» [3]. Etenim «Deus non comparatur creaturis in hoc quod dicitur melior vel summum bonum, quasi participans naturam eiusdem generis cum creaturis, sicut species generis alicuius [neque sicut substantia et accidens participant communem rationem entis finiti]: sed quasi principium generis» ad genus causatum et participatum [4]. Et inde est quod «Deus alio modo se habet ad esse quam aliqua alia creatura; nam ipse est suum esse, quod nulli creaturae competit» [5].

Differentia vero inter inaequalitatem specificam et inaequalitatem mere individualem consistit in eo, quod inaequalitas specifica, hoc est, inter species eiusdem generis, est formalis et essentialis, quia species sumuntur a forma et sunt de linea essentiae: inaequalitas vero mere individualis est materialis tantum et accidentalis, quia talis inaequalitas non est nisi inter individua eiusdem speciei atomae; et non multiplicantur individua intra eandem speciem nisi in rebus materialibus, quorum principium individuationis sumitur ex materia signata

---

1 I-II, 29, 2 ad 1.
2 *De Malo*, 2, 9 ad 16.
3 *De Pot.* 7, 7 ad 3.
4 *Ibid.*, ad 4.
5 *Ibid.*, corp. art.

quantitate, eaque comitantur accidentia individuationem ostendentia et proprium esse exsistentiae quod suppositorum vel individuorum est ut proprii subiecti, et quidem extra eorum essentiam.

Itaque inaequalitas diversorum ordinum, generum et specierum est essentialis et formalis, quia tam ens quam genera et species pertinent ad lineam essentiae; inaequalitas autem mere individualis sive diversorum individuorum eiusdem speciei atomae est accidentalis tantum et mere materialis, non essentialis et formalis, quia materia signata quantitate ex qua sumitur individuatio et distinctio mere individualis est extra lineam essentiae vel speciei, licet non extra lineam substantiae, eo ipso quod individuum vel suppositum est substantia prima: quo fit, ut inaequalitas individuorum sit inaequalitas *substantiarum*, non inaequalitas *substantialis*.

Qua de causa S. Thomas, loquens de inaequalitate animarum humanarum per comparationem ad inaequalitatem angelorum, notat inaequalitatem angelorum esse formalem et essentialem, quia in eis non multiplicantur individua intra eandem speciem, sed tot sunt individua quot species; inaequalitatem vero animarum humanarum esse materialem tantum, quia animae humanae individuantur ex corpore vel materia quam informant, ita ut homo «quanto corpus melius complexionatum fuerit, nobiliorem animam sortiatur, cum omne quod in aliquo recipitur, per modum recipientis sit receptum», et sic «diversitas et distinctio gradus [=inaequalitas] in animabus causatur ex diversitate corporis» [1].

Dicendum est ergo quod «diversitas formalis est *duplex*. Quaedam quae est formae *per se, secundum id quod ad rationem formae pertinet*; et talis diversitas formae diversitatem [et inaequalitatem] speciei inducit. Est autem quaedam diversitas formae, *non per se sed per accidens, ex diversitate materiae resultans, secundum*

---

1 *II Sent.*, d. 32, 2, 3c.

quod in materia melius disposita dignius forma participatur; et talis diversitas [vel inaequalitas] speciem non diversificat [cum sit potius diversitas *formae* quam diversitas *formalis*]: et haec est diversitas [vel inaequalitas] animarum» humanarum [1]. Nam huiusmodi inaequalitas vel diversitas est «*materialis* tantum, quae ad speciem non pertinet, sed *ad individuum tantum*: *et ista redundat ex materia ad formam, et non e converso*» [2].

Consequenter, «cum dicitur quod substantia non recipit magis et minus [3], non intelligitur quod una species substantiae non sit perfectior quam alia; sed quod unum et idem individuum non participet suam speciem quandoque magis, quandoque minus: *nec etiam a diversis individuis participatur species substantiae secundum magis et minus*» [4], licet materialiter seu mere individualiter unum individuum sit alio perfectius; siquidem «in eadem specie non potest unum esse prius altero proprie loquendo, ordine naturae [vel essentiae], *quia species praedicatur aequaliter de omnibus individuis*» [5].

Qui omnes modi inaequalitatis contemplari possunt sequenti schemate:

1 *Ibid.*, ad 1.
2 *Ibid.*, ad 6.
3 Aristoteles, *Categoriae*, cap. 3, n. 20 (I, 5, 28).
4 I, 93, 3 ad 3.
5 *Quodlib. III*, 6, ad arg. sed contra.

quod in materia melius disposita dignius forma participatur; et talis diversitas [vel inaequalitas] speciem non diversificat [cum sit potius diversitas *formae* quam diversitas *formalis*]: et haec est diversitas [vel inaequalitas] animarum» humanarum [1]. Nam huiusmodi inaequalitas vel diversitas est «*materialis* tantum, quae ad speciem non pertinet, sed *ad individuum tantum: et ista redundat ex materia ad formam, et non e converso*» [2].

Consequenter, «cum dicitur quod substantia non recipit magis et minus [3], non intelligitur quod una species substantiae non sit perfectior quam alia; sed quod unum et idem individuum non participet suam speciem quandoque magis, quandoque minus: *nec etiam a diversis individuis participatur species substantiae secundum magis et minus*» [4], licet materialiter seu mere individualiter unum individuum sit alio perfectius; siquidem «in eadem specie non potest unum esse prius altero proprie loquendo, ordine naturae [vel essentiae], *quia species praedicatur aequaliter de omnibus individuis*» [5].

Qui omnes modi inaequalitatis contemplari possunt sequenti schemate:

1 *Ibid.*, ad 1.
2 *Ibid.*, ad 6.
3 Aristoteles, *Categoriae*, cap. 3, n. 20 (I, 5, 28).
4 I, 93, 3 ad 3.
5 *Quodlib. III*, 6, ad arg. sed contra.

Aequalitas et inaequalitas: circa quantitatem

- I) *molis*, dimensivam, praedicamentalem
  - 1) *aequalia*: eadem moles vel dimensio.
  - 2) *inaequalia*: diversa moles vel dimensio
    - a) maio
    - b) mino
- II) *virtutis*, perfectionis transcendentalis ....
  - 1) *aequalia*: eadem virtus, eadem perfectio in essendo vel operand
  - 2) *inaequalia*: diversa virtus, diversa perfectio in essendo vel operando, idest maior vel minor, perfectior vel imperfectior, melior vel peior = inaequalitas perfectionis sive transcendentalis ...
    - A) mere individualis vel *materialis* =
      individua eiusdem speciei ato
      quae ideo ....
    - B) *formalis*, essentialis: inter formas vel essentias sive perfectiones essentialiter differentes
      - a) *notio*
      - b) *divis*

- dicamentalem
  - 1) *aequalia*: eadem moles vel dimensio.
  - 2) *inaequalia*: diversa moles vel dimensio
    - a) maior.
    - b) minor.
- 1) *aequalia*: eadem virtus, eadem perfectio in essendo vel operando.
-) *inaequalia*: diversa virtus, diversa perfectio in essendo vel operando, idest maior vel minor, perfectior vel imperfectior, melior vel peior = inaequalitas perfectionis sive transcendentalis ...
  - A) mere individualis vel *materialis* = inter individua eiusdem speciei atomae, quae ideo ....
    - 1) a materia radicaliter venit, non a forma, qu materia est principium individuationis;
    - 2) non est formalis, sed potest dici formarum;
    - 3) non essentialis, sed essentiarum, licet accid lis;
    - 4) dicitur secundum magis et minus accidentali
    - 5) dicitur secundum prius et posterius tempor loco, non natura vel essentia; generatione, non n
  - B) *formalis*, essentialis: inter formas vel essentias sive perfectiones essentialiter differentes
    - a) *notio*
      - 1) venit ab ipsa forma et non a materia;
      - 2) est formalis et non solum formarum;
      - 3) est essentialis et non solum essentiarum;
      - 4) dicitur secundum magis et minus essentialit
      - 5) dicitur secundum prius et posterius natura ssentia, et non solum accidenti loci vel temporis, natura et n sola generatione.
    - b) *divisio*
      - 1) inter formas vel essentias *creatas*
        - α) mere *specifica*, idest inter species eiusdem generis ....
          -) *Notio*: est secundum differentias proprias et extrinsecas generi, non secundum rationem communem.
          - ivisio: nter species
            - atomas vel infimas eiusdem generis proximi.
            - subalternas vel intermedias eiusdem generis subalterni vel intermedii.
            - supremas eiusdem generis supremi vel generalissimi.
        - β) *generica*: inter dive nera suprema vel praedicamenta: est secundum modo nsecos et quidem secundum ipsam rationem communem sis imbibitam.
      - 2) inter Deum et creaturas sive inter creatum *creatum*: inaequalitas *ordinis* sive ultra et *supra generica*: est inaequali undum ipsam rationem communem eis imbibitam.

AEQUALITAS ET INAEQUALITAS: CIRCA QUANTITATEM

- I) *molis*, dimensivam, praedicamentalem
  - 1) *aequalia*: eadem moles vel dimensio.
  - 2) *inaequalia*: diversa moles vel dimensio
    - a) maior.
    - b) minor.
- II) *virtutis*, perfectionis transcendentalis ....
  - 1) *aequalia*: eadem virtus, eadem perfectio in essendo vel operando.
  - 2) *inaequalia*: diversa virtus, diversa perfectio in essendo vel operando, idest maior vel minor, perfectior vel imperfectior, melior vel peior= inaequalitas perfectionis sive transcendentalis ...
    - A) mere individualis vel *materialis*=inter individua eiusdem speciei atomae, quae ideo ....
      - 1) a materia radicaliter venit, non a forma, qu[...] materia est principium individuationis;
      - 2) non est formalis, sed potest dici formarum;
      - 3) non essentialis, sed essentiarum, licet accid[...]lis;
      - 4) dicitur secundum magis et minus accidentali[...]
      - 5) dicitur secundum prius et posterius tempor[...] loco, non natura vel essentia; generatione, non n[...]
    - B) *formalis*, essentialis: inter formas vel essentias sive perfectiones essentialiter differentes
      - a) *notio*
        - 1) venit ab ipsa forma et non a materia;
        - 2) est formalis et non solum formarum;
        - 3) est essentialis et non solum essentiarum;
        - 4) dicitur secundum magis et minus essentiali[...]
        - 5) dicitur secundum prius et posterius natura [...]sentia, et non solum accidenti loci vel temporis, natura et n[...] sola generatione.
      - b) *divisio*
        - 1) inter formas vel essentias *creatas*
          - α) mere *specifica*, idest inter species eiusdem generis ....
            - [...]) *Notio*: est secundum differentias proprias et extrinsecas generi, non secundum rationem communem.
            - [...]*ivisio*: [...]nter species
              - atomas vel infimas eiusdem generis proximi.
              - subalternas vel intermedias eiusdem generis subalterni vel intermedii.
              - supremas eiusdem generis supremi vel generalissimi.
          - β) *generica*: inter dive[...]enera suprema vel praedicamenta: est secundum modo[...]nsecos et quidem secundum ipsam rationem communem [...]osis imbibitam.
        - 2) inter Deum et creaturas sive inter creatum [...] *creatum*: inaequalitas *ordinis* sive ultra et *supra generica*: est inaequali[...]undum ipsam rationem communem eis imbibitam.

701. Porro inaequalitas propria *analogiae*, sic dictae, *inaequalitatis* non potest esse inaequalitas mere individualis et quasi materialis.

Primo quidem, quia talis inaequalitas est individuorum vel suppositorum tantum qua talium, non ipsius essentiae vel naturae: «univocatio autem et aequivocatio [=analogia] *non respicit suppositum*, sed essentiam vel naturam, quam significat definitio» [1]; quia «aequivocum et univocum dicitur secundum *definitivam* rationem eandem vel non eandem, ratio autem *definitiva* cuiuslibet *speciei* [quae sola est proprie definibilis] sumitur a forma specifica ipsius» et non a materia signata quantitate, quae principium individuationis est [2].

Deinde, quia species atoma est simpliciter, idest omnibus modis, sive re et ratione, una natura vel essentia [3], ideoque non amplius divisibilis re neque distinguibilis ratione in linea essentiali vel specifica; unum enim nihil est aliud quam ens indivisum, et consequenter unum specie vel natura idem est ac ens indivisum et indivisibile specifica differentia [4]. Ubi autem est omnimoda unitas essentialis, ibi nulla inaequalitas essentialis dari potest, quia inaequalitas est quaedam pluralitas vel multiplicitas. Ex quo igitur analogia essentialiter respicit naturam vel essentiam, ubi omnis inaequalitas essentialis excluditur, eo ipso excluditur omnis analogia, et nominatim illa quam inaequalitatis appellant. Quam ob rem S. Thomas nervose concludit: «impossibile est *naturam speciei* communicari ab individuis per prius et posterius [=inaequaliter], *nec*

---

1 *Quodlib. III*, 4 ad 1.
2 *Ibid.*, corp.
3 «Species sumitur a forma *ultima*, quae simpliciter una est in rerum natura» (S. THOMAS, *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8): «sic igitur species est unum quid a forma una in rerum natura exsistente» (*Ibid.*, paulo infra).
4 Ob hoc enim species specialissimae dicuntur *atomae*, «in quantum ulterius non dividuntur formaliter; particularia vero dicuntur individua [=ἄτομα], in quantum nec materialiter nec formaliter ulterius dividuntur» (S. THOMAS, *In X Metaph.*, lect. 10, n. 2123).

secundum esse, neque secundum intentionem» [1]. Tempore quidem potest unum individuum prius alio participare naturam speciei [2]: at vero *tempus* est extra naturam speciei, ideoque extra analogiam.

702. Similiter non potest esse inaequalitas generica presse dicta sive inter diversa genera suprema entis finiti; quia, licet talis inaequalitas sit vere formalis et essentialis, non est tamen secundum proprias rationes generum tantum in quae dividitur ens reale finitum, verum etiam, et quidem maxime, secundum ipsam communem rationem entis: sicut «substantia *principalius* dicitur *ens* quam accidens» [3], et peccatum mortale principalius dicitur peccatum quam veniale [4]. Hic autem modus inaequalitatis est proprius aliorum modorum analogiae, nempe attributionis vel proportionalitatis [5].

Neque a fortiori potest esse inaequalitas ordinis sive ultra generica, quae multo maior est ideoque propria analogiae attributionis et proportionalitatis, ut inter Deum et creaturas: alterius enim ordinis est ens increatum quod est ens per essentiam, ab ente creato quod est ens per participationem [6].

703. Remanet ergo sola inaequalitas specifica, hoc est, inter species eiusdem generis supremi, veluti propria analogiae inaequalitatis. Haec enim inaequalitas, eo ipso quod specifica est, essentialis et formalis est, atque ideo multiplicitatem sive diversitatem quandam essentialem praesefert: quo fit, ut inaequalitatem sive diversitatem rationis et definitionis propriae inducat pro singulis speciebus, ac proin veram realemque analogiam.

---

1 *II Sent.*, d. 3, 1, 4c; I, 50, 3, arg. sed contra.
2 *Quodlib. III*, 6, ad obiecta; *In III Metaph.*, lect. 8, n. 438.
3 I-II, 61, 1 ad 1.
4 I-II, 88, 1 ad 1.
5 *III Sent.*, d. 1, 1, 1c, n. 12; *In V Metaph.*, lect. 8, nn. 876-880; I, 4, 3c; *De Pot.*, 7, 7 ad 3 et ad 2 sed contra; *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6.
6 *De Pot.*, 7, 7 ad 2 et 3; item ad 8 sed contra; I, 4, 3 ad 3.

Ad cuius pleniorem evidentiam duo sunt prae oculis habenda.

704. *Primo* quidem *genus non esse simpliciter unam naturam*, eo modo quo species atoma est una natura. Id namque simpliciter est *una* natura vel essentia quod non est amplius essentialiter divisibile in plures naturas vel essentias per formales differentias, quia unum est ens indivisum et unitas est indivisio entis: et hoc modo sola species atoma nominat *unam* naturam, cum non sit amplius divisibilis in plures naturas vel species per formales differentias; genus autem est essentialiter divisibile per formales differentias in plures species vel naturas.

Quin etiam, maior est multiplicitas essentialis generis eiusque divisibilitas formalis in species quam multiplicitas materialis speciei atomae eiusque divisibilitas materialis in individua, licet tam genus quam species atoma conveniant in ratione universalis; nam verum quidem est *universale* necessario exigere *pluralitatem* in his quae sub ipso continentur, diversimode tamen, nempe in actu vel in potentia tantum: «*in actu*, sicut est *in genere, quod semper habet plures species*; *in potentia*, sicut *in aliquibus speciebus*, quarum forma, *quantum est de se, possibilis est inveniri in multis*, cum omnis forma sit de se *communicabilis*, sed quod inveniatur tantum in uno est ex parte materiae debitae illi speciei quae tota adunatur in uno individuo, ut patet in Sole qui constat ex tota sua materia» [1]. Et ideo «*non est possibile* invenire aliquod *genus*, cuius *una* tantum sit species: genus enim dividitur in species *per oppositas differentias*; oportet autem, si unum contrariorum invenitur in natura, et reliquum inveniri, ut patet per Philosophum in *II de Caelo et Mundo*: et ideo, si una species invenitur, invenitur et alia. Una autem *species* dividitur in diversa individua *per di-*

---

1 *I Sent.*, d. 19, 4, 2c. Cf. etiam *In VII Metaph.*, lect., 13, n. 1574; *In I Periherm.*, lect. 10, n. 5; *II Contra Gent.*, cap. 93; *De Spiritualibus creaturis*, 8c, & Tertia vero ratio.

visionem materiae: contingit autem *totam* materiam alicui speciei proportionatam *sub uno individuo comprehendi*, et tunc non est nisi unum individuum sub una specie»[1].

Praeterea, unitas essentialis generis est unitas indifferentiae et indeterminationis tantum, quae in sola mentis consideratione sistit, ac proinde est mere logica, non realis sive a parte rei; unitas vero essentialis speciei atomae est unitas determinationis et actualitatis, atque ideo realiter sive a parte rei exsistens, antecedenter et independenter a mentis consideratione, et non mere logica. Constat autem unitatem realem comparari ad unitatem mere logicam ut unitatem simpliciter ad unitatem secundum quid, sicut et ens reale comparatur ad ens rationis ut ens simpliciter ad ens secundum quid.

Et haec est ratio quam S. Thomas adhibet, qui et talem distinctionem unitatis essentialis inter genus et speciem atomam maximi facit[2]: «et huius ratio est, inquit, quia species [atoma] sumitur a forma *ultima*, quae simpliciter una est *in rerum natura*; genus autem non sumitur a forma aliqua quae sit una in rerum natura, sed *secundum rationem tantum*: non est enim aliqua forma ex qua homo sit animal, praeter illam ex qua homo est homo. Omnes igitur homines, qui sunt unius speciei, conveniunt in forma quae constituit speciem, quia quilibet habet animam rationalem: sed non est in homine, equo et asino aliqua anima communis, quae constituat animal, praeter illam animam quae constituit hominem vel equum aut asinum —quod si esset, tunc genus esset unum et comparabile, sicut et species—; sed *in sola consideratione accipitur forma generis, per abstractionem intellectus a differentiis.*

---

1 *In I Post.*, lect. 12, n. 3. Cf. quoque *In II Post.*, lect. 12, n. 9.

2 «Elicit [Aristoteles] ex praemissis quoddam *consideratione dignum*, scilicet quod genus non est aliquid unum simpliciter, species autem est aliquid unum simpliciter... Ex quo videtur quod genus non sit una natura, sed species sit una natura» (*In VII Physic.*, lect. 8, n. 8).

Sic igitur *species* [*atoma*] *est unum quid a forma una in rerum natura exsistente: genus autem non est* [*hoc modo*] *unum; quia secundum diversas formas in rerum natura exsistentes, diversae species generis praedicationem suscipiunt; et sic genus est unum logice* [*tantum*], *sed non physice*» et realiter[1].

705. *Secundo, divisionem generis* in species per differentias formales necessario et *sempre involvere inaequalitatem essentialem* specierum per tales differentias constitutarum. Cuius ratio est, quia differentiae formales dividentes genus, ad invicem opponuntur oppositione contraria[2]. Opposita autem oppositione contrarietatis semper includunt in sua ratione aliquid de oppositione privativa, eo quod diversa genera oppositionum dicuntur analogice, secundum prius et posterius sive ordine quodam, ad unum primum genus seu modum oppositionis, quod est oppositio contradictionis, ita quidem ut post illam sit oppositio privativa, dein oppositio contraria, et tandem oppositio relativa[3]: in his enim quae sic analogice dicuntur, semper posterius dependet a priori, cuius participatione tale dicitur et est. Unde et «*quidquid in ea* [oppositione contraria] *oppositionis est, totum efficitur per participationem oppositionis privativae* et contradictoriae»[4]: quo fit, ut «*semper in contrariis omnibus alterum extremum est ut privatio et alterum ut habitus*; privatio enim et habitus faciunt contrarietatem, ut dicitur *I Physicorum*, et ideo *omnes contrarietates reducuntur in habitum et privationem tanquam in primam oppositionem* quae est in genere, sed in oppositionem contradictionis reducitur omnis contrarietas ut in primam oppositionem simpliciter»[5]. Qua de causa, S. Thomas docet

---

1 *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.

2 *In X Metaph.*, lect. 10, nn. 2112, 2120-2123.

3 *De quatuor oppositis*, cap. 1, ed. cit., t. V, pp. 176-179.

4 *Ibid.*, cap. 2, p. 179.

5 *Ibid.*, paulo infra. Cf. etiam *In X Metaph.*, lect. 6, nn. 2036, 2040-2058.

quod «privatio et habitus est *prima contrarietas, quia scilicet in omnibus contrariis salvatur privationis ratio et habitus*, cum semper alterum contrariorum sit quasi privatio respectu alterius, ut respectu nigri [vel potius nigrum respectu albi] et amarum respectu dulcis»[1].

Atqui privatio et habitus sive privatio et forma *essentialiter inaequales* sunt, cum privatio se habeat ad formam ut potentia ad actum sive ut mera aptitudo ad rem completam, atque ideo ut imperfectum ad perfectum et ut deficiens ad abundans: constat autem perfectum et abundans esse naturaliter et essentialiter prius imperfecto et deficienti, sicut et actus est naturaliter prior potentia, eodemque iure «habitus naturaliter prior est privatione»[2].

Ergo similiter differentiae formales contrariae per quas essentialiter dividitur genus, itemque diversae species per eas constitutae, debent esse *essentialiter inaequales*, ita ut «una earum sit ut abundans et alia ut deficiens respectu alterius»[3], ac proinde una naturaliter prior altera.

Quam ob rem, iure scribit S. Thomas: «prima contrarietas est habitus et privatio, quia scilicet in omnibus contrariis salvatur, cum semper unum contrariorum sit imperfectum respectu alterius, ut nigrum respectu albi et amarum respectu dulcis»[4]. «Manifestum est enim quod in omnibus generibus contingit aliquid esse dupliciter: vel sicut perfectum, vel sicut imperfectum. Cuius ratio est, quia privatio et habitus est prima contrarietas, quae in omnibus contrariis salvatur, ut in *X Metaphysicorum* dicitur. Unde, cum omnia genera dividantur contrariis differentiis, *oportet in omnibus generibus esse perfectum et imperfectum*: sicut in substantia aliquid est ut forma,

[1] *In V Physic.*, lect. 9, n. 1.
[2] *In I Periherm.*, lect. 8, n. 3.
[3] *In V Physic.*, lect. 3, n. 5.
[4] I, 48, 1 ad 1.

et aliquid ut privatio; et in qualitate aliquid est ut album quod est perfectum, et aliquid ut nigrum quod est quasi imperfectum; et in quantitate aliquid est quantitas perfecta, et aliquid imperfecta; et in loco aliquid est sursum quod est quasi perfectum, et aliquid deorsum quod est quasi imperfectum; vel leve et grave, quae ponuntur in *ubi* ratione inclinationis» sursum vel deorsum[1].

Et alibi: «*semper contraria se habent secundum peius et melius*, ut dicitur in *I Physic.*, ita scilicet quod unum est privatio et defectus respectu alterius, sicut frigidum respectu calidi et nigrum respectu albi. Manifestum est autem quod affirmatio, idest *omne quod positive dicitur ut aliquid completum, est prius eo quod dicitur per privationem et defectum*, ut calidum est prius frigido»[2]: et vicissim, «*defectus est naturaliter posterior, sicut privatio quam habitus*»[3].

Unde et merito concludit: «*in his autem quae formali differentia differunt, aequalitas inveniri non potest*. Oportet enim omnem formalem differentiam ad primam oppositionem reduci, quae est privationis ad formam. Unde omnium formaliter differentium, natura unius imperfecta exsistens respectu alterius, se habet ad ipsum secundum habitudinem privationis ad formam.

Hoc autem in diversitate specierum nobis notarum apparet. Sic igitur specierum differentiam in animalibus et plantis et metallis et elementis invenimus secundum ordinem naturae procedere, ut paulatim ab imperfectiore ad perfectissimum natura consurgat: quod etiam apparet in speciebus colorum et saporum et aliarum sensibilium qualitatum.

In his vero quae materialiter differunt, eandem formam habentibus, nihil prohibet aequalitatem inveniri:

[1] *In III Physic.*, lect. 1, n. 8.
[2] *In II de Caelo et Mundo*, lect. 4, n. 8.
[3] *Ibid.*, n. 6. Cf. etiam *III Contra Gent.*, cap. 9 ad 3, & Habet tamen et hoc dictum.

possunt enim subiecta diversa eandem formam participare, aut secundum aequalitatem, aut secundum excessum et defectum»[1].

Et hac de causa in angelis, cum «non possit esse diversitas secundum numerum absque diversitate secundum speciem», consequenter in eis nulla diversitas dari valet «absque *naturali inaequalitate*»; nam «*diversitas secundum speciem semper habet diversitatem naturalem concomitantem*: sicut in speciebus colorum unus est perfectior altero, et similiter in aliis. Et hoc ideo, quia differentiae dividentes genus sunt contrariae: contraria autem se habent secundum perfectum et imperfectum, quia principium contrarietatis est privatio et habitus, ut dicitur in *X Metaphysicorum*»[2].

706. Ex quibus omnibus patet *definitio* analogorum huiusmodi analogia: analoga nempe analogia simplicis inaequalitatis sunt *ea quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est eadem logice, sed diversa realiter.*

Dicitur *eadem logice*, quia *ratio communis generis*, prout scilicet consideratur ut abstracta abstractione totali a differentiis formalibus eam dividentibus et contrahentibus ad species sub ea contentas, est *una eademque, idest omnino aequalis, secundum intentionem logicam ei convenientem in tali statu abstractionis*: et propter hoc dicit S. Thomas quod «genus praedicatur *aequaliter* de speciebus *quantum ad intentionem*» communem, idest logicam generis[3], sicut «omnia animalia sunt *aequaliter* animalia»[4]; et quod species contentae sub uno genere «*parificantur* in intentione» logica communi illius generis, «sicut omnia corpora *parificantur* in intentione corporeitatis»[5].

---

[1] *De Substantiis Separatis*, cap. 10. Opuscula, ed. cit., t. I, p. 111.
[2] I, 75, 7c.
[3] *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3.
[4] *De Malo*, 2, 9 ad 16.
[5] *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

Additur autem: sed *realiter diversa*, quia rationes *propriae*, nempe differentiae formales quibus realiter dividitur illa communis ratio generica quibusque realiter contrahitur ad species, sunt *realiter diversae, idest essentialiter plures et essentialiter inaequales*, atque ideo ipsae species sub illo uno genere contentae sunt realiter et essentialiter inaequales et plures et diversae secundum proprias rationes: sicut «binarius secundum *propriam* rationem *naturaliter* est *prior* ternario, sed tamen *aequaliter* participant rationem [sive intentionem logicam communem] generis sui, scilicet numeri; ita enim est ternarius multitudo mensurata per unum, sicut et binarius»[1]: et sicut non omnia animalia sunt *aequalia* animalia, licet omnia sint *aequaliter* animalia[2]; quia «illud commune non habet esse unius rationis [propriae et specificae] in omnibus»[3], sed est essentialiter inaequale secundum rem, idest secundum esse essentiae proprium singularum specierum. Qua de causa, S. Thomas dixit quod «genus est unum logice, sed *non physice*»[4], neque matephysice[5], neque theologice, idest non realiter realitate essentiae; quia Physica et Metaphysica et Theologia, cum sint scientiae reales, «considerant res secundum suum esse» reale et essentiale: quod est aequivalenter dicere genus logicum esse realiter et essentialiter multiplex et diversum et inaequale[6].

Quod si quis velit eam exprimere terminis S. Alberti et S. Thomae[7], dicere potest analoga inaequalitatis esse *ea quorum nomen est idem, ratio vero significata per no-*

---

[1] *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6.
[2] *De Malo*, 2, 9 ad 16.
[3] *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1. Revera enim inaequalitas huiusmodi oritur ex inaequalitate differentiarum, non ex ipsa ratione communi generis.
[4] *In VII Physic.*, lect. 8, n. 8.
[5] *In I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1; *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 3c.
[6] *Ibid.*
[7] S. Albertus Magnus, *VII Physicorum*, tract. 2, cap. 3, t. 6, pp. 512-513. S. Thomas, *I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1.

men est eadem secundum intentionem, sed diversa secundum rem vel secundum esse reale essentiae: sive aequalis secundum intentionem, sed essentialiter inaequalis secundum rem.

707. Quae quidem definitio praeferenda videtur ei quae communiter circumferri solet ex Caietano, nempe «analoga secundum inaequalitatem vocantur [ea] *quorum nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est omnino eadem, inaequaliter tamen participata*» [1].

Equidem scio Caietanum aliosque post ipsum sane intelligere huiusmodi formulam, quatenus illa verba: *inaequaliter participata*, sumunt pro inaequalitate perfectionis secundum esse vel secundum rem in speciebus participantibus genus [2]; sed, prout iacet, talis formula aequivocationi ansam praebet et diminuta est.

Ansam aequivocationi praebet; quia, prout sonat et postulat eius constructio grammaticalis, ratio illa omnino eadem, quae est *ipsa ratio communis generica*, inaequaliter participaretur ab eius inferioribus, et sic inaequalitas afficeret ipsam rationem communem. Hoc autem falsum est, ut patet ex dictis: et ipse S. Thomas docet expresse quod «genus *aequaliter participatur* a suis speciebus» [3], quod species «*aequaliter participant* rationem generis sui» [4] et quod «omne genus univoce et *aequaliter* praedicatur de suis speciebus» [5].

Praeterea, dictio illa, *inaequaliter participata*, nisi modus participationis addatur, *ambigua* est: nam, si intelligatur de inaequalitate participationis *unius et eiusdem formae sive rationis*, non includit diversitatem speciei, sed est mere materialis, et ideo non sufficit ad analogiam de qua loquimur; si vero intelligatur de inaequalitate

---

1 Caietanus, *De nominum analogia*, cap. 1, n. 4, ed. cit., p. 6.
2 Cf. *ibid.*, nn. 4-7, pp. 6-9.
3 S. Thomas, *De Malo*, 2, 9, obi. 16.
4 *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6.
5 *II Sent.*, d. 3, 1, 5, obi. 3.

diversarum formarum, diversitatem speciei praesefert, et tunc utique sufficit ad analogiam inaequalitatis, quia est inaequalitas formalis et essentialis [1]. Quia tamen, prout iacet, afficere videtur membrum immediate praecedens, scilicet «ratio secundum illud nomen est *omnino eadem*», sensum prioris inaequalitatis redolere videtur, et sic analogia inaequalitatis daretur inter individua eiusdem speciei atomae, quod falsum omnino est.

Diminuta et deficiens est, quia non determinat neque explicat propriam indolem sive proprium modum identitatis neque inaequalitatis praedictae rationis: quod tamen bona definitio praestare debebat; inde enim ambiguitas aut certe obscuritas eius sequebatur.

Oportet igitur eam complere, ac reducere ad definitionem quam paulo supra dedimus, hoc fere pacto: ea quorum nomen est commune, et ratio secundum illud nomen est omnino eadem *logice sive secundum intentionem*, inaequaliter tamen participata *secundum esse essentiae sive secundum esse, idest physice aut metaphysice.* Sic enim omnino clara et adaequata evadit.

708. Illud etiam notare iuvat, bonitatem huiusce definitionis comprobari ex eo quod in ipsa perfecte exprimitur propria indoles istius analogiae eiusque differentia a ceteris Analogiae modis.

Exprimitur quidem propria indoles analogiae huius, scilicet quo pacto quove modo ei conveniant ratio analogiae: *num vere et proprie, an improprie et abusive tantum.*

Eam non esse veram et proprie dictam analogiam, sed abusive tantum, communis fere sententia est post Caietanum qui, enumeratis tribus analogiae modis, nempe analogia inaequalitatis, analogia attributionis et analogia

---

1 Cf. *De ente et essentia*, cap. 6, ed. cit., p. 51, 15-22; *I Sent.*, d. 8, expositio primae partis textus; d. 35, 4 ad 3; *II Sent.*, d. 3, 1, 5 ad 3; *Quaest. disp. De Anima*, 7 ad 6; *De Spiritualibus creaturis*, 8 ad 8; *De Malo*, 2, 6 ad 16; I, 50, 4 ad 2.

proportionalitatis, subiungit: «quamvis, secundum *veram vocabuli proprietatem* et usum Aristotelis, ultimus modus tantum analogiam constituat, *primus autem* [=modus analogiae *inaequalitatis*] *alienus ab analogia omnino est*»[1].

Et post pauca: «haec, inquit, pro tanto analoga vocantur quia, considerata inaequali perfectione inferiorum [specierum sub uno genere ordinatarum], per prius et posterius ordine perfectionis de illis dicitur illud nomen commune; et iam in usum venit ut quasi synonime dicamus aliquid dici analogice et dici per prius et posterius. *Abusio tamen vocabulorum haec est*: quoniam dici per prius et posterius, superius est ad dici analogiae...: *quoniam univoca sunt secundum veritatem* et univocorum canones in eis servandi sunt»[2].

Pace tamen tanti viri ceterorumque vestigia eius prementium, crederim analogiam inaequalitatis esse veram analogiam, licet non ita plene et stricte dictam sicut analogiam attributionis multoque minus sicut analogiam proportionalitatis. Illa enim est vera analogia cui vere convenit definitio communis analogiae; nam «cuicumque convenit definitio, convenit et definitum»[3]. Atqui analogiae inaequalitatis vere convenit definitio communis analogiae.

Ut enim patet ex supra dictis[4], analoga in communi deficiuntur: ea quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est secundum quid eadem, diversa tamen simpliciter. Porro talis definitio vere convenit analogis analogia inaequalitatis, quippe quorum nomen est idem, ratio autem per nomen significata est secundum quid tantum eadem, simpliciter tamen diversa: ratio namque significata per nomen est ratio generica, quae

---

1 Caietanus, *De nominum analogia*, cap. 1, n. 3, pp. 5-6.
2 *Ibid.*, n. 7, pp. 8-9. Cf. etiam n. 2, p. 4.
3 S. Thomas, *II Sent.*, d. 27, 2 obi. 8.
4 Cf. *supra*, nn. 277-280.

est una tantum secundum intentionem logicam, non una autem sed multiplex et diversa secundum rem sive secundum esse essentiae reale; constat autem unitatem mere logicam seu intentionalem esse unitatem secundum quid, dum e contra diversitatem secundum esse reale essentiae seu secundum rem esse diversitatem simpliciter, nam et unitas secundum esse reale essentiae ei opposita est unitas simpliciter. Quare S. Thomas: «*genus*, ait, *non est aliquid unum simpliciter*, *species* autem *est aliquid unum simpliciter*»; quia «species est unum quid a forma una in rerum natura exsistente, genus autem non est unum» a forma una in rerum natura exsistente, sed in sola rationis consideratione: «et sic genus est unum logice, sed non physice» et realiter; «ex quo videtur quod genus non sit [simpliciter] una natura, sed species sit [simpliciter] una natura»[1]. Cum ergo natura vel essentia sit ipsa ratio significata per nomen, sequitur rationem significatam per nomen commune generis non esse simpliciter unam, sed secundum quid tantum.

Quae cum ita sint, minus caute dictum est hunc analogiae modum esse *omnino alienum* a vera ratione analogiae, ita ut nonnisi per vocabulorum *abusionem* dici posset analogiae modus.

709. *Assignatur etiam propria eius differentia a ceteris analogiae modis.* Etenim in analogis analogia attributionis mere extrinsecae sive pure denominativae, ratio significata per nomen commune est diversa et inaequalis secundum intentionem tantum et non secundum esse; dum in analogis analogia inaequalitatis ratio significata per nomen commune est diversa et inaequalis secundum esse tantum et non secundum intentionem.

Rursus, in analogis analogia attributionis intrinsecae et similiter in analogis analogia proportionalitatis, ratio significata per nomen commune est diversa et inaequalis

---

1 S. Thomas, *In VII Physicorum*, lect. 8, n. 8.

tam secundum intentionem quam secundum esse; dum in analogis analogia inaequalitatis, ratio significata per nomen commune est diversa et inaequalis secundum esse tantum et non secundum intentionem.

Per hoc ergo quod dicitur: *ratio vero significata per nomen est eadem secundum intentionem*, distinguitur hic analogiae modus a ceteris omnibus, quorum ratio significata per nomen commune est *diversa secundum intentionem*.

Per hoc autem quod additur: *diversa tamen secundum rem sive secundum esse reale essentiae*, distinguitur specialiter hic modus analogiae ab analogia attributionis pure extrinsecae et denominativae, in qua est *sola diversitas secundum intentionem*.

Tandem, per hoc quod simul dicitur: *ratio significata per nomen commune est eadem secundum intentionem et diversa secundum rem*, differt specialiter analogia inaequalitatis cum ab analogia attributionis intrinsecae tum ab analogia proportionalitatis, quatenus in illa est *sola diversitas secundum rem*, dum in his *simul adest diversitas secundum intentionem et secundum rem*.

Art. 2.— Divisio analogiae inaequalitatis

710. *Dividitur* autem analogia inaequalitatis in plures modos.

Primo namque dividitur *in analogiam inaequalitatis essentialis proprie et plene dictae*, ut est illa quae viget *inter species eiusdem generis proprie et plene dictas*, verbi gratia inter hominem et equum qui pleno et proprio sensu sunt species animalis; et *in analogiam inaequalitatis quasi essentialis*, ut est illa quae habetur *inter quasi species eiusdem generis*, quin tamen pleno iure species sint, verbi gratia inter acediam et angustiam vel inter misericordiam et invidiam quae sunt quasi species tristitiae, non tamen proprio et stricto sensu.

Dupliciter enim dividitur genus: uno modo, formaliter, idest per differentias eius formales contrarias, constituentes diversas species proprie dictas; alio modo, quasi materialiter, nempe per applicationem rationis genericae ad diversas materias ei extraneas, ad quas se habet ut formale ad materiale, ac proin inaequalitatem quandam quasi essentialem et specificam praedictae rationis inducunt secundum rem sive secundum esse, quatenus diversitas illa materiae extraneae redundat quodammodo in ipsam rationem per modum connotationis cuiusdam.

Exempli gratia, linea recta et linea curva sunt species proprie dictae lineae, et similiter angulus rectus et angulus acutus et angulus obtusus sunt species anguli; e contra, angulus aeneus et angulus lapideus et angulus ligneus et angulus visualis non sunt species formales anguli, sed species quasi materiales, ob applicationem formae anguli recti vel acuti vel obtusi ad diversas materias sensibiles ei extraneas [1].

Ad rem S. Thomas: «ad rationem speciei pertinet quod se habeat *ex additione ad genus*. Sed generi potest aliquid addi *dupliciter*.

Uno modo, quod *per se* ad ipsum pertinet et virtute continetur in ipso, sicut rationale additur animali: *et talis additio facit veras species alicuius generis*, ut per Philosophum patet in *VII Metaph.* et in *VIII*.

Aliud vero additur generi *quasi aliquid extraneum a ratione ipsius*, sicut si album animali addatur, vel aliquid huiusmodi: *et talis additio non facit veras species generis*, secundum quod communiter loquimur de generibus et speciebus.

Interdum tamen dicitur aliquid esse *species* alicuius generis *propter hoc quod habet aliquid extraneum ad quod applicatur generis ratio*, sicut carbo et flamma dicuntur

---

[1] Cf. *In II Physicorum*, lect. 3, n. 8; *In I Post.* lect. 25, n. 2; *In librum Boetii de Trinitate*, 5, 3 ad 5-7; *De natura generis*, cap. 14, ed. cit., t. V, p. 247.

esse species ignis propter applicationem naturae ignis ad materiam alienam; et simili modo loquendi dicuntur Astrologia et Perspectiva species Mathematicae, in quantum principia mathematica applicantur ad materiam naturalem» sive physicam [1].

Patet autem applicationem rationis genericae ad materiam extraneam plus dicere quam differentia mere accidentalis, puta albedinis, ad rationem genericam animalis; itemque plus importare quam merus descensus materialis speciei atomae ad individua sub ea contenta: sed medio modo se habere inter differentias pure accidentales mereque materiales et differentias pure formales, cum applicatio rationis genericae al materias extraneas quasi formalis ad materiale sit quasi deductio formae ad materiam, ad cuius diversitatem quodammodo trahitur per quandam necessariam connotationem in esse rei, ex ipsa reali applicatione. Unde et reductive, reductione licet impropria, trahitur talis additio ad differentiam quasi formalem generis, et consequenter ad quasi species eius constituendas.

711. *Secundo,* analogia inaequalitatis vere proprieque essentialis *subdividitur in tres modos.*

Primus est *inter species supremas unius eiusdemque generis supremi sive generalissimi,* puta inter corpus et spiritum purum. Corpus enim, quod est substantia corporea sive materialis; et angelus sive spiritus purus, qui est substantia incorporea pureque spiritualis, sunt species supremae generis generalissimi quod est substantia: primo namque dividitur genus substantiae per formales differentias in substantiam essentialiter compositam ex materia et forma, quae est corpus; et in substantiam essentialiter simplicem, idest non compositam ex materia

[1] I-II, 35, 8c et ad 3. Cf. etiam *In IV Sent.*, d. 44, 3, 2 qla. 2c; Salmanticenses, *Cursus theol.*, in I-II, arbor Praedicamentalis virtutum, & 5, n. 31, ed. Palmé, t. 6, pp. 433-434.

et forma, quae est angelus, purus nempe spiritus puraque forma.

Alter est *inter species subalternas unius eiusdemque generis subalterni,* verbi gratia inter corpus vivum et corpus vita carens. Substantia enim corporea primo et essentialiter dividitur quasi per formales differentias in substantiam essentialiter compositam ex materia organica et forma vivente quae est anima, et in substantiam essentialiter compositam ex materia inorganica et forma vita carente: et ex prima differentia resultat corpus animatum seu vivum; ex secunda vero corpus inanimatum seu non-vivum.

Tertius est *inter species infimas unius eiusdemque generis infimi,* exempli gratia inter hominem et belluam. Animal enim, quod est substantia animata sensitiva, essentialiter dividitur per rationale et irrationale tanquam per formales differentias: ex prima autem differentia constituitur species atoma hominis, qui est animal rationale; ex secunda vero constituitur species belluae, quae est animal irrationale, licet haec species non sit revera ultima et specialissima sed subalterna, eo quod brutorum animalium dantur plures species.

712. Sed circa huiusmodi divisionem sunt tria *animadvertenda. Primo* quidem inaequalitatem essentialem horum trium modorum non esse aequalem, sed essentialiter inaequalem et gradatim procedentem. *Maxima* enim inaequalitas huius analogiae est inter species *supremas* eiusdem generis supremi, eo quod inter eas est maxima distantia et summa diversitas quae dari potest inter plures species; *minima* vero est inter species *infimas* eiusdem generis infimi, eo quod inter eas habetur minima diversitas minimaque distantia quae inter plures species intercedere potest; *media* autem est inter species *subalternas* eiusdem generis subalterni, eo quod inter eas habetur *minor* distantia quam inter species supremas eiusdem generis supremi simulque maior distantia quam

inter species atomas eiusdem generis infimi. Et sic, maxima inaequalitas inter species substantiae est quae viget inter corpus et angelum; minima autem est quae habetur inter hominem et belluam, vel potius inter duas species finitimas eiusdem generis animalis irrationalis, puta inter canem et lupum vel inter equum et mulum; media vero est quae intercedit inter corpus vivens et corpus vita carens.

Secundo, notandum est inaequalitates extremas, quae sunt inaequalitas maxima et inaequalitas minima, stare in indivisibili pro suo quoquo modo.

Si enim aliqua inaequalitas essentialis dari posset maior vel minor inaequalitate inter species supremas eiusdem generis supremi, eo ipso haec desineret esse maxima: nam, si alia maior supponeretur, illa erit maxima; sin autem supponeretur alia minor, talis minor reduci non posset ad maximam.

Eodem iure, si alia inaequalitas essentialis dari posset minor vel maior inaequalitate inter species specialissimas eiusdem generis infini, ipso facto haec desineret esse infima: si enim poneretur alia minor, eo ipso esset minima vel infima; sin autem poneretur alia maior, eo ipso esset irreductibilis ad minimam sive infimam.

Sic ergo inaequalitas maxima inter species supremas eiusdem generis supremi nequit esse nisi una et indivisibilis; similiter inaequalitas minima inter species specialissimas eiusdem generis infimi.

Dico autem, inter species supremas et inter species infimas *eiusdem* generis supremi *eiusdemque* generis infimi: nam si loquamur de inaequalitate inter species supremas *diversorum* generum supremorum, nihil impedit quominus inaequalitas unius generis sit maior vel minor quam inaequalitas alterius; et similiter, si sermo fiat de inaequalitate inter species infimas diversorum praedicamentorum. Immo et necessarium est talem inaequalitatem admittere, ex quo ipsamet praedicamenta sunt essentialiter inaequalia, utpote primo et maxime diversa.

Ita, verbi gratia, maior est distantia et inaequalitas essentialis inter corpus et angelum, quae sunt species supremae praedicamenti substantiae, quam inter numerum et magnitudinem sive quantitatem discretam et continuam, quae sunt species supremae praedicamenti quantitatis: pariter, maior est inaequalitas et distantia inter hominem et equum vel inter equum et asinum, qui sunt species atomae generis infimi substantiae, quam inter lineam rectam et lineam curvam, quae sunt species atomae generis infimi quantitatis.

Ex adverso, inaequalitas media inter species intermedias vel subalternas eiusdem praedicamenti latitudinem magnam suscipit diversitatis et inaequalitatis: nam tales species plures habent gradus intra unum idemque praedicamentum, licet subordinatos vel saltem coordinatos. Et sic videmus maiorem esse distantiam inter corpus vivens et corpus vita carens, quam inter duo corpora viventia: puta, inter plantam et lapidem, quam inter plantam et animal.

Tandem, advertendum est inaequalitatem essentialem *huius modi analogiae* esse intra species supremas vel species subalternas vel species atomas *unius eiusdemque praedicamenti tantum*, non autem inter species quascumque diversorum praedicamentorum: nam inter species, immo et inter individua, diversorum praedicamentorum adest inaequalitas, non solum secundum esse reale essentiae, verum etiam secundum ipsam communissimam rationem entis realis finiti; et talis inaequalitas est propria aliorum modorum analogiae, nempe attributionis et proportionalitatis, ut supra ostensum est [1]. Ut enim egregrie scribit Caietanus, divisio et inaequalitas formalis est illa «quae *per essentialia principia fit*. Et haec habet latitudinem: quia quaedam est per essentialia principia *propria*, quaedam vero per principia essentialia *communia*; et hoc iterum habet latitudinem, secun-

[1] Cf. *supra*, n. 702.

dum quod principia essentialia communia sunt magis et minus communia. Verbi gratia, inter Sortem et Platonem est divisio numeralis et non formalis, quia non causatur distinctio eorum ex essentialibus, sed individualibus principiis; inter Sortem vero et hunc leonem, dato quod leo et homo essent sub eodem genere proximo, est divisio formalis per essentialia principia *propria*, ultimas scilicet differentias, *tantum*; inter Sortem vero et hanc plantam est maior divisio formalis, per principia scilicet essentialia *communia* Sorti et multis aliis speciebus, scilicet sensibile et insensibile; inter Sortem vero et hunc lapidem est divisio formalis adhuc maior per *communiora* principia, scilicet per animatum et inanimatum. Et sic semper ascendendo, intenditur divisio formalis adeo, quod inter Sortem et hanc albedinem est *maxima* divisio formalis, utpote per propria et *communissima* principia essentialia, scilicet substantivum et dispositivum modos entis praedicamentorum constitutivos» [1].

713. *Tertio*, analogia *inaequalitatis improprie mereque reductive essentialis subdivitur* in duos modos, nempe *in* analogiam *pure physicam* et in analogiam *physico-mathematicam*.

Analogia *pure physica* habetur inter quasi species pure physicas resultantes ex applicatione eiusdem rationis communis genericae ordinis physici ad diversas materias extraneas ordinis quoque physici: utputa inter flammam et carbonem, quae sunt quasi species ignis; nam «ignis in materia aerea dicitur flamma, et in materia terrea dicitur carbo» [2], utraque autem haec materia est aliena vel extranea respectu naturae ignis [3]: et inter

---

[1] *In opusculum de Ente et Essentia*, cap. 4, q. 6, n. 58, ed. cit., p. 91.

[2] S. Thomas, I, 67, 2 ad 2.

[3] *II Sent.*, d. 13, 3 ad 3; *IV Sent.*, d. 44, 3, 2 qla. 2c et ad 4; *In librum Boetii de Trinitate*, 4, 3 ad 4; *In II de Anima*, lect. 14, n. 406; *In Psalm.* 17, 9. Cf. etiam Aristotelem, *II de Partibus Animalium*,

acediam et angustiam vel inter invidiam et misericordiam, quae sunt quasi species tristitiae, scilicet «per applicationem rationis tristitiae ad aliquid extraneum... ex parte causae obiecti vel ex parte effectus» [1].

Analogia vero *physico-mathematica* contingit inter quasi species physico-mathematicas resultantes ex applicatione eiusdem rationis communis genericae ordinis mathematici ad diversas materias ordinis physici, ideoque ei extraneas, ad quas se habet ut formale ad materiale: exempli gratia, inter Astronomiam et Opticam, quae sunt quasi species Geometriae, prout scilicet rationes Geometriae purae applicantur ad materiam caelestem mensurandam et terrestrem videndam [2], quae sunt materia sensibilis sive physica [3]. Quem ad sensum scribit S. Thomas: «est autem considerandum quod multa quidem secundum *abstractam* considerationem *vel logici vel mathematici* [4] *non sunt aequivoca*, quae tamen, secundum *concretam* rationem *naturalis* [physici] ad materiam applicantis, *aequivoce quodammodo dicuntur, quia non secundum eandem rationem in qualibet materia recipiuntur*; sicut quantitatem et unitatem, quae est principium numeri, non secundum eandem rationem contingit invenire in corporibus caelestibus et in igne et in aere et in aqua» [5].

Et sic apparet quam late pateat analogia inaequali-

---

cap. 2 (III, 232-233); et S. Albertum Magnum, *V Topic.* tract. 2, cap. 7, ed. cit., t. II, p. 414.

[1] I-II, 35, 8c et ad 3.

[2] I-II, 35, 8c; *In I Post.*, lect. 25, n. 2.

[3] *In II Physic.*, lect. 3, n. 8.

[4] Ens enim mathematicum purum et ens pure logicum sunt formaliter entia rationis, atque ideo ex hac parte assimilantur a S. Doctore. Unde, et postquam de ente rationis logico sermonem fecerat, statim subiungit: «et simile est de omnibus aliis quae consequuntur ex modo intelligendi, *sicut est abstractio mathematicorum et huiusmodi*» (S. Thomas, *I Sent.*, d. 2, 1, 3c).

[5] *In VII Physic.*, lect. 7, n. 9. Cf. etiam S. Albertum Magnum, *VII Physicorum*, tract. II, cap. 2, t. III, pp. 508-509. Eademque ratione ait quod «aequalitas primo in numeris est [et], per analogiam in quantis continuis numeratis» (*I Post.*, tract. 3, cap. 1, t. II, p. 69b).

tatis: vagatur enim per omnia praedicamenta, et in linea *recta* praedicamentali uniuscuiusque praedicamenti tantum extenditur quantum protenduntur eius genera, nempe a genere supremo usque ad genus infimum pertranseundo per omnia genera subalterna [1]; in linea vero *indirecta et quasi connotativa,* tantum extenditur quantum porriguntur materiae alienae vel extraneae quibus diversimode applicabilis est ratio communis generica physica vel mathematica, quasi formalis ad materiale.

En ergo divisio schematica:

Analogia inaequalitatis inter:

- I) species eiusdem generis constitutas per differentias formales, idest inter species *proprie dictas*
  - 1) inter species supremas eiusdem generis supremi.
  - 2) inter species subalternas eiusdem generis subalterni.
  - 3) inter species infimas eiusdem generis infimi.
- II) species eiusdem generis constitutas per differentias materiales sive per applicationes differentes eiusdem generis ad materias diversas et extraneas, idest inter species *reductive* dictas
  - 1) pure physicas vel psychologicas, v. gr. inter flammam et carbonem, vel inter misericordiam et invidiam.
  - 2) non pure physicas, sed physico - mathematicas, v. gr. inter astronomiam et opticam vel inter musicam et poesim.

---

[1] Vel, ut dicunt Complutenses Ord. Praed., «dicuntur analoga analogia physica quaelibet praedicata superiora praeter speciem infimam» (*Quaestiones in universam Aristotelis Logicam*, q. 7, a. 3, n. 25, p. 453b. Compluti, 1677).

Art. 3.- Vindicatio analogiae realis inaequalitatis

714. Dolendum est tamen hunc Analogiae modum adeo esse neglectum a scholasticis posterioris aetatis, sub praetextu eum non excedere limites univocitatis, ac si ei non conveniret ratio analogiae nisi per abusum vocabuli et quasi per puram aequivocationem.

Equidem, si totam doctrinam de Analogia reducamus ad puram Logicam mereque logice iudicemus de ipsa, inter univoca computandus esset, quia et genus est primum universale sive univocum. Hoc autem non est usquequaque verum; quin scientiae reales, praesertim Metaphysica et Theologia sacra, tantas vel potiores partes sibi vindicant hac de re [1]. Porro, secundum has scientias reales, analogia inaequiltatis est vera et non abusiva analogia, quia est analogia realis sive rerum secundum esse reale essentiae, quas scientiae reales directe et ex propriis considerant [2]. Et ideo tam physicus quam metaphysicus et theologus vere et absque ullo verborum abusu eam pos-

---

[1] Cf. *supra*, nn. 2-7; 19-23.

[2] *Logica* dicitur scientia *rationalis*, quia est de ente *rationis* ut de proprio obiecto; Physica vero, Metaphysica et Theologia Sacra vocantur scientiae *reales*, quia sunt de ente *reali* ut de obiecto proprio. «Philosophia enim Prima est de communibus, quia eius consideratio est *circa ipsas res communes*, scilicet circa ens et partes et passiones entis. Et quia circa omnia quae in rebus sunt habet negotiari ratio, Logica autem est de operationibus rationis, Logica erit etiam de his quae communia sunt omnibus, idest *de intentionibus rationis, quae ad omnes res se habent*: non autem ita quod Logica sit de ipsis rebus communibus sicut de subiectis; considerat enim Logica sicut subiecta syllogismum, enuntiationem, praedicatum aut aliquid huiusmodi» (S. Thomas, *In I Post.*, lect. 20, n. 4. Cf. etiam *In IV Metaph.*, lect. 4, nn. 574-577; *De natura generis*, cap. 4, ed. cit., t. V, p. 226). «Unde et aliae scientiae sunt *de rebus*, et aliae *de intentionibus* intellectis» (*IV Contra Gent.*, cap. 11); quia nimirum scientiae reales «sunt de *rebus*», non autem «*de intentionibus, nisi sola scientia rationalis*» (*In III de Anima*, lect. 8, n. 718): Logica enim «considerat *intentiones tantum*», Physica vero et Metaphysica «considerant *res secundum suum esse*» reale (*I Sent.*, d. 19, 6, 2 ad 1).

sunt et debent appellare analogiam; «quoniam quilibet artifex iudicare debet secundum proprias sui generis causas»[1], et loqui formaliter secundum propriam materiam. Sicut ergo quando logicus genera dicit univoca, non debet eum metaphysicus de improprietate et abusu locutionis arguere, licet apud ipsum vocentur analoga; ita neque logicus corripere debet metaphysicum de abusu et improprietate verborum quando genera nominat analoga, licet apud ipsum appellentur univoca: sed oportet logicum loquentem, logice intelligere et interpretari; et metaphysicum, metaphysice et realiter.

Neque ulla exinde sequitur contradictio, quia non est affirmatio et negatio eiusdem de eodem *secundum idem*[2]. Logica enim affirmat univocitatem generis secundum intentionem tantum, non secundum rem vel esse; Metaphysica vero negat univocitatem generis secundum rem vel esse tantum, non secundum intentionem: similiter, Logica negat analogiam generis secundum intentionem tantum, non secundum esse: Metaphysica autem affirmat analogiam generis secundum esse tantum, non secundum intentionem. Quin immo iudicia utriusque facultatis sunt simul vera: nam verum est iudicium Logicae affirmantis genus esse univocum secundum intentionem, simulque verum est iudicium Metaphysicae negantis genus esse univocum secundum esse; pariter, verum est iudicium Logicae negantis genus esse analogum secundum intentionem, simulque verum est iudicium Metaphysicae affirmantis genus esse analogum secundum esse.

Similiter, nulla est timenda aequivocatio vel amphibologia ex eo quod unum idemque nomen generis quandoque significat univocationem, interdum vero analo-

---

1 Caietanus, *In II-II*, 23, 7, n. 1. Cf. etiam S. Thomam, *De Pot.*, 1, 4c.

2 «Est enim contradictio oppositio unius et eiusdem, non rei tantum sed rei et nominis simul, secundum idem ad idem, similiter et in eodem tempore» (S. Thomas, *De fallaciis*, cap. 12, ed. cit., t. IV, pp. 527-528). Ampliorem explicationem contradictionis, eamque prorsus egregiam, tradit S. Doctor *In I Periherm.*, lect. 9, nn. 7-9.

giam. Non enim significat simul haec duo aeque primo, sed secundum prius et posterius: primo namque et principaliter nomen generis est nomen secundae intentionis sive logicum, et ideo primario et principaliter significat univocationem; secundario autem et ex consequenti est nomen primae intentionis sive rei, idest nomen physicum vel metaphysicum, ac proin ex consequenti et per posterius significat analogiam inaequalitatis, quae est analogia realis sive secundum rem. Sicut ergo nomen analogiae dictum de analogia attributionis vel proportionalitatis et de analogia inaequalitatis non est nomen pure aequivocum, sed analogum, eo quod per prius dicitur de analogia proportionalitatis et attributionis et nonnisi per posterius de analogia inaequalitatis: ita nomen generis dictum de genere logico et de genere reali, idest physico vel metaphysico, est nomen analogum et non pure aequivocum, quia ambo genera similia et proportionalia sunt in suo quoquo ordine, et insuper dicitur per prius de logico quam de reali. Ex quo igitur genus physicum vel metaphysicum est ipsum analogum inaequalitatis sive secundum rem, dicere nomen generis esse pure aequivocum ut significat univocitatem logicam et analogiam realem, est aequivalenter asserere idem nomen generis esse pure aequivocum ad genus logicum et ad genus physicum vel metaphysicum.

715. Quam ob rem, multo *magis placet antiquorum consuetudo*, nempe Aristotelis, Averrois, S. Alberti Magni et S. Thomae, absque ullo scrupulo loquentium de analogia inaequalitatis, eamque simpliciter appellantium analogiam tam in Physica quam in Metaphysica: immo et in Theologia Sacra cum, ut S. Albertus et S. Thomas, theologi nunere funguntur.

Sed et eorum philosophandi mos multo verior et profundior est magisque scientificus quam modus philosophandi recentiorum. Analogia enim inaequalitatis cum sit potius analogia *rerum*, quam analogia nominum, potius quoque spectat ad scientias *reales* quam ad scien-

tiam rationalem sive Logicam. Quia ergo «modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens ei quod subiicitur sicut materia in illa scientia»[1], recta methodus sciendi postulat ut haec analogia tractetur realiter, idest physice vel metaphysice vel theologice, et non mere logice.

Sane quidem, si uni Logicae adscriberetur, necessario pertinere deberet ad Logicam docentem vel ad Logicam utentem. *Non ad primam*: tum quia Logica docens est de solis intentionibus secundis, et non de ipsis rebus ad quas directe reducitur haec analogia; tum etiam quia ad puram Logicam solum spectat agere de analogia secundum intentionem tantum eo ipso quod est scientia de solis intentionibus, haec autem analogia de qua loquimur non est analogia secundum intentionem, sed univocatio, cum sit analogia secundum rem tantum. *Neque ad secundam*, quia tunc pertineret ad meram Dialecticam procedentem ad considerandas ipsas res analogas hac analogia ex solis intentionibus rationis, «quae sunt extraneae a natura rerum»; et sic non haberetur scientia vera et propria de tali analogia, sed mera opinio et communis probabilitas: quod patet esse falsum[2].

---

[1] *In I Ethic.*, lect. 3, n. 32.

[2] «Pars autem Logicae, quae demonstrativa est, etsi circa com-
munes intentiones versetur *docendo*, tamen *usus* demonstrativae scien-
tiae non est in procedendo ex his communibus intentionibus ad ali-
quid ostendendum de *rebus, quae sunt subiecta aliarum scientiarum*:
sed hoc *Dialectica* facit, *quia ex communibus intentionibus procedit
arguendo dialecticus ad ea quae sunt aliarum scientiarum, sive sint
propria sive communia, maxime tamen ad communia*» (S. Thomas, *In
I Post.*, lect. 20, n. 5).

«Differunt autem ab invicem Philosophus quidem [=Metaphysicus]
a Dialectico secundum potestatem: nam maioris virtutis est conside-
ratio Philosophi quam consideratio Dialectici. *Philosophus* enim de
praedictis communibus [omni enti] procedit *demonstrative*, et ideo
eius est habere *scientiam* de praedictis, et est cognoscitivus eorum *per
certitudinem*; nam certa cognitio sive scientia est effectus demons-
trationis. *Dialecticus* autem circa omnia praedicta procedit *ex pro-
babilibus*: unde *non facit scientiam, sed quandam opinionem*.

Et hoc ideo est, quia ens est duplex: ens scilicet rationis et ens
naturae. Ens autem rationis dicitur proprie de illis intentionibus
quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, spe-

Ac de facto, scholastici posterioris aetatis, qui mere logice de ea loquuntur, ipsam reducunt in Logica docente ad puram univocationem, nempe ad genus logicum; et in Logica utente, quando scilicet considerant ipsas res analogas tali analogia, mere dialectice pertractant, non satis attententes propriam indolem huius analogiae, quae potius est realis quam intentionalis, idest rerum potius quam nominum. Qua in re, in excessum incidunt *logicismi*, res nempe quae ad scientias reales directe spectant, considerantes secundum meras intentiones logicas; et realissima problemata physica, metaphysica et theologica pertractantes ac resolventes in puram putamque Dialecticam utentem, quae a vera ratione scientiae excidit. Eo simili modo quo moderni *scientifici*, qui dicuntur, incidunt in excessum *mathematismi*, res scilicet physicas, biologicas, psychologicas, sociales, oeconomicas, politicas aliasque id genus, considerantes secundum meram rationem quantitatis et mensurae, vi cuius earum leges

---

ciei et similium; quae quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur: et huiusmodi, scilicet ens rationis est proprie subiectum Logicae. Et ideo subiectum Logicae ad omnia se extendit de quibus ens naturae praedicatur: unde concludit [Aristoteles] quod subiectum Logicae aequiparatur subiecto Philosophiae [=Metaphysicae], quod est ens naturae.

Philosophus igitur ex principiis ipsius [entis realis] procedit ad probanda ea quae sunt consideranda circa huiusmodi communia accidentia entis. *Dialecticus* autem procedit ad ea consideranda ex intentionibus rationis, quae sunt extranea a natura rerum: et ideo dicitur quod Dialectica est *tentativa*, quia *tentare* proprium est *ex principiis extraneis procedere*...

Dialectica enim potest considerari secundum quod est *docens* et secundum quod est *utens*. Secundum quidem quod est *docens*, habet considerare de istis intentionibus, *instituens modum quo per eas procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis probabiliter ostendendas*: et hoc *demonstrative* facit, et secundum hoc est *scientia*. *Utens* vero est *secundum quod modo adiuncto utitur ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientiis, et sic recedit a modo scientiae*...

Sed in parte Logicae, quae dicitur *Demonstrativa*, solum doctrina *pertinet ad Logicam; usus vero ad Philosophiam et ad alias particulares scientias, quae sunt de rebus naturae. Et hoc ideo, quia usus Demonstrativae consistit in utendo principiis rerum de quibus fit demonstratio, quae ad scientias reales pertinet, non utendo intentionibus logicis*» (*In IV Metaph.*, lect. 4, nn. 574, 576-577. Cf. etiam *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 1c).

formulis mathematicis exprimi possint. Sunt enim haec diversa genera scibilia, in scientiis autem et demonstrationibus «non est descensus neque transitus de genere in genus» [1]: οὐκ ἄρα ἔστιν ἐξ ἄλλου γένος μεταβάντα δεῖξαι, οἷον τὸ γεωμετρικὸν ἀριθμητικῇ [2]; insuper «peccant qui uniformiter» in diversis generibus scientiae «procedere nituntur» [3]. Sive ergo res metaphysicae vel theologicae exprimantur terminis logicis, sive res physicae formulis mathematicis, non inde sequitur problemata realia metaphysica vel theologica inducere rigorem Logicae formalis; neque realia problemata physica, rigorem Mathematicae: quia neque revera sunt scientifice soluta vel demonstrata, quantumvis homo sibi illudat de rigore demonstrativo logico vel mathematico. Ideo nervose S. Thomas: «in parte Logicae, inquit, quae dicitur *Demonstrativa, solum doctrina pertinet ad Logicam; usus vero ad Philosophiam* [=Metaphysicam] *et ad alias particulares scientias, quae sunt de rebus naturae*» [4]; et iterum: «*ex mathematicis non potest aliquid efficaciter de motu* [qui est res physica] *concludi*» [5].

716. Immo et talem excessum *logicismi* extendunt aliquando ad analogata pleno sensu dicta, quae nonnunquam reducere nituntur ad meram analogiam inaequalitatis, licet in universali veram habeant notionem de ceteris analogiae modis. Ita, exempli gratia, opinantur Báñez et Joannes a S. Thoma *enuntiationem dividi* in simplicem et compositam sive in categoricam et hypotheticam ut genus in species, nempe *divisione univoca*, atque ideo tales enuntiationes non posse dici analogas nisi sola

---

[1] S. Thomas, *In I Post.*, lect. 15, n. 5.
[2] Aristoteles, *I Post.*, cap. 7, n. 1 (I, 128, 33-34).
[3] S. Thomas, *In librum Boetii de Trinitate*, 6, 2c, in fine.
[4] *In IV Metaph.*, lect. 4, n. 577. Cf. etiam *In I Post.*, lect. 20, n. 5; *In VII Metaph.*, lect. 2, n. 1260; *In I de Caelo et Mundo*, lect. 13, n. 5; lect. 15, nn. 1 et 9; lect. 22, n. 9.
[5] *De Pot.*, 3, 17 ad 17.

analogia inaequalitatis vel secundum esse [1]; et tamen, iuxta rei veritatem et expressam S. Thomae doctrinam, haec divisio est analoga pleno sensu eo quod membra eius analogice tantum conveniunt in ipsa communi ratione enuntiationis, nempe secundum intentionem et non solum secundum esse.

Dividit enim S. Thomas, post Aristotelem, enuntiationem in simplicem et compositam sive in categoricam et hypotheticam [2]; simplicem autem subdividit in affirmativam et negativam [3], licet ex consequenti possit etiam convenire haec subdivisio enuntiationi compositae [4].

Et quidem primam divisionem asserit esse analogi in analogata. Tam enim simplex quam composita sunt enuntiatio *una* [5]: diversimode tamen, quia simplex est una *simpliciter*, utpote quae non solum est indivisa, sed etiam indivisibilis in ratione et esse enuntiationis; composita vero est una *secundum quid tantum*, quippe quae solum est indivisa, divisibilis tamen [6]. Et quidem in ipsa ratione et esse enuntiationis, hoc est, in significando perfecte verum vel falsum [7]: nam enuntiatio simplex dicitur sim-

---

[1] Dom. Bañez, *Institutiones Minoris Dialecticae, quas Summulas vocant*, lib. I, tract. 2, cap. 3, pp. 41-44. Salmanticae 1599; Joannes a S. Thoma, *Cursus Philosophicus*, Logica, I P., q. 5, a. 3, ed. Reiser, t. I, pp. 157-161.
[2] S. Thomas, *In I Periherm.*, lect. 8, nn. 1, 9, 13, 16, 18; lect. 10, n. 10; lect. 13, n. 2; lect. 1, n. 8.
[3] *In I Periherm.*, lect. 8, nn. 3, 9, 19, 21.
[4] *In I Periherm.*, lect. 8, n. 29.
[5] «Quia enim ens et unum convertuntur, necesse est sicut omnem rem ita et omnem enuntiationem aliqualiter esse unam» (*In I Periherm.*, lect. 8, n. 2).
[6] «Sicut etiam in rebus, quae sunt extra animam, aliquid est unum simpliciter, sicut *indivisibile*...; aliquid est unum colligatione aut *compositione* aut ordine» (*Ibid.*). Unum simpliciter est ens «indivisum actu et potentia»: unum secundum quid est ens «indivisum actu sed divisibile in potentia» (*In I Sent.*, d. 24, 1, 1c; I, 11, 1c). Cf. etiam *In I Periherm.*, lect. 8, nn. 13-16; lect. 13, n. 2).
[7] Cf. *In I Periherm.*, lect. 7, nn. 2 et 4. «*Hypothetica* enuntiatio *non continet absolutam veritatem*, cuius cognitio requiritur in demonstratione, ad quam liber iste principaliter ordinatur; *sed significat aliquid verum esse ex suppositione: quod non sufficit in scientiis demonstrativis, nisi confirmetur per absolutam veritatem simplicis*

pliciter et absolute una, quia unum de uno significat; composita vero appellatur una secundum quid tantum, quia plura significat, non tamen disparata sed aliquo modo unita, atque ideo est una coniunctione vel colligatione tantum [1]. Consequenter enuntiatio qua talis, idest in ipsa ratione signi iudicii intellectus, dividitur in unam simpliciter et in unam secundum quid, eo fere modo quo unum in ratione unius dividitur in unum simpliciter et in unum secundum quid, hoc est, in simplex et compositum [2].

Atqui «unum non dicitur univoce de simplici et composito, sed [analogice, idest] per prius et posterius» [3]: nam «sicut ens dicitur multipliciter, ita et unum» [4]; «eadem enim ratione unum non potest esse genus qua nec ens, quia nec univoce praedicatur» [5].

Ergo et enuntiationis unitas et essentia non dicitur univoce de enuntiatione simplici et de composita, sed analogice sive secundum prius et posterius. Quare S. Thomas: «enuntiationum, ait, quaedam est una simpliciter, quaedam vero coniunctione una. *Quae quidem est divisio analogi in ea de quibus praedicatur secundum prius et posterius: sic enim unum dividitur secundum prius in simplex et per posterius in compositum*» [6].

Quod autem haec analogia intelligenda sit pleno sensu, idest non secundum esse tantum sed secundum ipsam communem intentionem unitatis et entitatis et essentiae enuntiationis, patet ex modo dictis: nam sicut unitas entis analogice dicitur secundum ipsam communem inten-

enuntiationis. Et ideo Aristoteles praetermisit tractatum de hypotheticis enuntiationibus et syllogismis» (*In I Periherm.*, lect. 1, n. 8).

1 *In I Periherm.*, lect. 8, nn. 13 et 16.

2 «Ratio autem huius divisionis est ex eo, quod *unum* natum est dividi per *simplex et compositum*; ...quasi dicat: *hoc modo* enuntiationis unitas dividitur in duo praemissa, *sicut* aliquod unum dividitur in simplex et compositum» (*In I Periherm.*, lect. 8, n. 18).

3 *In I Periherm.*, lect. 8, n. 20.

4 *In I Physic.*, lect. 3, n. 3; *In X Metaph.*, lect. 1, n. 1921.

5 *In X Metaph.*, lect. 3, n. 1966.

6 *In I Periherm.*, lect. 10, n. 10.

tionem unitatis et entitatis de unitate simplicitatis et de unitate compositionis sive de unitate simpliciter et de unitate secundum quid, ita unitas et essentia enuntiationis analogice dicitur secundum ipsum communem intentionem unitatis et essentiae de unitate essentiali enuntiationis simplicis et de essentiali unitate enuntiationis compositae.

Quod etiam S. Thomas ipse hoc modo intellexerit hanc analogiam, et non per modum analogiae simplicis inaequalitatis tantum, evidentissime constat. Contraponit enim S. Doctor modum quo dividitur enuntiatio in simplicem et compositam modo quo subdividitur tam simplex quam composita in affirmativam et negativam.

Porro docet enuntiationem, seu simplicem seu compositam, subdividi in affirmativam et negativam ut genus in species, nempe divisione univoca: nam expresse corripit Alexandrum Aphrodisieum dicentem «quod divisio enuntiationis in affirmativam et negativam non est divisio generis in species, sed divisio nominis multiplicis in sua significata», idest analogi pleno sensu in sua analogata, de quibus dicitur secundum prius et posterius ut ens de substantia et accidente [1]; et *solum admittit analogiam inaequalitatis* inter affirmativam et negativam, videlicet prioritatem et posterioritatem secundum esse vel secundum proprias differentias, non secundum intentionem communem, prout revera contingit inter species cuiuscumque generis [2]. Hoc enim modo tantum enuntiatio affirmativa est naturaliter prior negativa: ex parte quidem *vocis*, «quia simplicior est», cum negativa addat «supra affirmativam particulam negantem; ex parte etiam *intellectus* affirmativa enuntiatio quae significat compositionem intellectus, est prior negativa quae significat divisionem eiusdem: divisio enim naturaliter posterior est compositione, nam non est divisio nisi compo-

1 *In I Periherm.*, lect. 8, n. 5.

2 *Ibid.*, n. 6.

sitorum sicut non est corruptio nisi generatorum; ex parte etiam *rei* affirmativa enuntiatio quae significat esse, prior est negativa quae significat non esse, sicut habitus naturaliter prior est privatione» [1]. «Sic ergo affirmatio secundum *propriam* rationem *prior* est negatione: tamen *aequaliter* participant rationem [communem sive genericam] enuntiationis» simplicis vel compositae [2].

Consequenter modum divisionis enuntiationis in simplicem et compositam non potuit intelligere in eodem sensu, nempe ut generis in species vel secundum meram analogiam inaequalitatis, sed ut analogum pleno sensu dictum in sua analogata: secus, vel S. Thomas luderet verbis, idem intelligens per divisionem univocam generis in species et per divisionem analogam analogati in analogata [3]; vel ea quae dixit de modo quo dividitur enuntiatio in simplicem et compositam deberent eodem iure corripi quo corripiuntur ea quae Alexander Aphrodisieus pronuntiavit de modo divisionis enuntiationis seu simplicis seu compositae in affirmativam et negativam [4]. Et sic, vel S. Thomas sophistice procederet; vel sibimet turpiter contradiceret.

717. Quam ob rem, non possum non mirari *Bañezium*, qui contrariam sententiam de univocatione harum enuntiationum mordicus tenet, fidentes affirmare: «neque haec sententia est contra D. Thomam, *ut aliqui eius verba superficialiter considerantes arbitrantur*» [5].

---

1 *Ibid.*, n. 3.
2 *Ibid.*, n. 6. Et prius dixerat quod sunt «partes *subiectivae*, idest species» enuntiationis (*In I Periherm.*, lect. 1, n. 7); et «quia sunt *species ex aequo dividentes genus*, sunt simul natura» (*Ibid.*, n. 10).
Hanc univocitatem secundum intentionem et analogiam secundum esse, videtur exprimere S. Albertus Magnus scribens: «cum dicitur, *alicuius de aliquo*, propositio quantum ad subiectum *univoce* stat et in affirmativa et in negativa; quantum autem ad relationem praedicati ad subiectum, *non stat omnino univoce*, quia in affirmativa notat *inhaerentiam* praedicati ad subiectum, in negativa autem notat *remotionem*» (*I Priorum*, tract. 1, cap. 3, ed. cit., t. I, p. 461b).
3 S. Thomas, *In I Periherm.*, lect. 8, n. 6; lect. 10, n. 10.
4 *In I Periherm.*, lect. 10, n. 10; lect. 8, n. 6.
5 Dom. Bañez, *Op. et loc. cit.*, p. 42.

In vanum etiam provocat ad auctoritatem S. Thomae admittentis unitatem simpliciter Sacramenti Eucharistiae in esse signi, licet in esse rei constat ex duplici materia et ex duplici forma [1]: tum quia talis appellatio nimis a longe repetitur, cum alia sit ratio signi in Sacramentis et in enuntiationibus; tum etiam quia talis auctoritas non est ad propositum, sed ad oppositum. Nam enuntiatio composita coalescit ex duabus vel pluribus enuntiationibus simplicibus aliquo modo colligatis, quarum unaquaeque perfecte significat iudicium simplex cuius est signum: at vero neque solus panis cum sua forma, neque solum vinum cum sua, significant perfecte spiritualem refectionem, sed utrumque simul. Et ideo S. Doctor sibi obiicienti: «ea quae sunt in genere signi, sicut nomina, plurificantur ad pluralitatem signantium quamvis sit idem signatum, sicut Marcus et Tullius sunt duo nomina quamvis sit eadem res significata», respondet: «ratio illa procedit quando utrumque signum habet *integram* significationem; sic autem non est hic, quia cibatio spiritualis non significatur *perfecte* neque per panis tantum neque per vini tantum sumptionem, sed per utrumque simul, *sicut est in significatione nominum compositorum*» [2], in quibus «pars nominis non significat aliquid per se separatum, sed solum quod est coniunctum ex duabus partibus» [3].

Ubi notandum est S. Thomam assimilare significationem partium Eucharistiae significationi partium *nominum* compositorum, non significationi partium *enuntiationum* compositarum, ut Bañezius intellexisse videtur. Et quidem oculatissime. Longe enim distant nomina et enuntiationes in significando; quia nomina sunt signa simplicis conceptus, dum enuntiationes sunt signa iudicii, quod saltem importat duplicem conceptum, scilicet sub-

---

1 *Ibid.*, p. 43; S. Thomas, III, 73, 2c et ad 2.
2 *In IV Sent.*, d. 8, 1, 1, qla. 2 ad 2.
3 *In I Periherm.*, lect. 6, n. 3.

iecti et praedicati. Qua de causa, pars enuntiationis significat perfecte partem iudicii et tota totum; puta, pars enuntiationis simplicis significat perfecte partem iudicii simplicis, ut in hac enuntiatione simplici: homo est risibilis, *homo* perfecte significat subiectum et *risibilis* significat perfecte praedicatum; et pars enuntiationis compositae significat perfecte partem iudicii compositi, ut in hac enuntiatione composita copulativa: homo est risibilis et mortalis, *homo est risibilis* perfecte significat primum iudicium, et *homo est mortalis* significet perfecte secundum.

At vero pars nominis non significat perfecte neque imperfecte partem conceptus, utpote qui unus et indivisibilis est. Nam si loquamur de nominibus *simplicibus*, eorum «pars nullo modo est significativa [partis conceptus], neque secundum veritatem, neque secundum apparentiam» [1]; quia tales partes sunt syllabae vel litterae, quae per se et separatim nihil significant, eo quod «syllabae quidem *sunt voces, sed non sunt voces per se significantes*» [2]. Ut enim egregie scribit S. Albertus Magnus, «significatio nominis sic refertur ad totum nomen quod non ad partes; pars enim prima sive syllaba sive littera non habet primam partem significati, et secunda pars secundam, et sic deinceps: sicut cum dico, *dominus*, hoc ipsum *do* quod prima syllaba est non habet primam tertiam significationis, et *mi* quod est secunda syllaba secundam, et *nus* quod est tertia syllaba non habet ultimam tertiam. Et sic nomen *totum* dicit et habet *totam* significationem; quia nulla pars separata habet aliquid significationis, neque secundum totum, neque secundum partem: et ideo *nihil penitus retinet de significatione totius*» [3].

---

[1] *In I Periherm.*, lect. 4, n. 10.
[2] *In I Periherm.*, lect. 6, n. 6.
[3] S. Albertus Magnus, *In I Periherm.*, tract. 2, cap. 4, ed. cit., t. I, p. 390a. Vel «sicut cum dicitur, *homo*, pars ista quae est *ho*, et pars alia quae est *mo*, nihil significant de hominis intentione» (*De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. I, p. 10a).

Si vero loquamur de nominibus *compositis*, pars quidem eius apparentiam habet aliquid significandi, cum tamen nihil revera separatim significet [1]. Exempli gratia, in hoc nomine composito «quod est *equiferus*, haec pars, *ferus*, per se nihil significat, sicut significat in hac *oratione* quae est *equus ferus*. Cuius ratio est, quod unum nomen imponitur ad significandum unum simplicem intellectum... Et inde est quod pars nominis compositi, quod imponitur ad significandum conceptum simplicem, non significat partem conceptionis compositae, a qua imponitur nomen ad significandum: sed *oratio* significat ipsam conceptionem compositam; unde pars orationis significat partem orationis compositae» [2]. Nimirum, ut explicat S. Albertus Magnus, «*ferus*, prout est pars nominis compositi huius quod est *equiferus*, nihil significat per se separatum de significatione totius: et hoc ideo est, quia hoc nomen, *equiferus*, impositum est equo a qualitate feritatis *immixtae* in qualitatem equinam; et quia *ut immixtum* non significat ferus, ideo de toto nihil significat. Nomen enim non est impositum a duabus qualitatibus divisis, sed *unitis*, et ideo quia [*ferus*] unam *divisam* significat, nihil significat de totius nominis significatione. Nihil ergo significat *ferus* quando est pars compositi *nominis*, quemadmodum per se aliquid significat quando est pars *orationis* istius quae est *equus ferus*. In hac enim est pars orationis; et per se sumptum ut nomen, aliquid significat de toto significato orationis: significatum enim *orationi* sic convenit, quod est in oratione secundum partes, et una pars unam partem dicit significationis, et altera reliquam» [3].

---

[1] S. Thomas, *In I Periherm.*, lect. 4, n. 10; lect. 6, n. 6.
[2] *Ibid.*, n. 9.
[3] S. Apbertus Magnus, *I Periherm.*, tract. 2, cap. 4, t. I, p. 390b. «Nihil enim dicitur significare quod de intellectu sui totius nihil significat: sicut cum dicitur, *dominus*, neque *do* syllaba, neque *mi*, neque *nus*, aliquid significant de intellectu totius, vel secundum partem vel secundum totum. Sic etiam cum dicitur, *hircocervus*, nec *hircus*, nec *cervus* aliquid significant de intellectu totius: *hircus* enim

718. Neque ea quae tradit *Joannes a S. Thoma* sunt maioris virtutis. Provocat enim praecipue ad auctorem *Summae totius Logicae Aristotelis*, quem putat esse ipsum S. Thomam, cum tamen constet eam non esse germanum opus Aquinatis. Conatur insuper per fas et nefas ipsum trahere ad suam opinionem, cum tamen certissime contrariam teneat, quae revera est authentica sententia S. Doctoris. Opinatur enim divisionem enuntiationis in affirmativam et negativam esse omnino univocam; divisionem e contra in categoricam et hypotheticam esse partim univocam et partim analogam: univocam quidem essentialiter vel quoad substantiam, analogam vero mere accidentaliter vel quoad modum tantum. Et putat hanc esse sententiam praedicti auctoris, qui ex una parte docet talem divisionem fieri secundum ipsam substantiam vel essentiam enuntiationis, ex alia vero esse ut analogi in analogata: «ubi ly *ut* —adnotat Joannes— modum designat» [1].

Immerito tamen haec asseruntur. *Primo* quidem, quia ille auctor non solum appellat talem divisionem *ut* analogi in analogata, verum etiam aliam divisionem in affirmativam et negativam vocat *ut* generis in species, scilicet ut univoci in univocata: si ergo particula reduplicativa, *ut*, est diminuens in primo casu et designat modum tantum accidentalem, non substantiam, eodem iure esset diminuens in secundo; et consequenter divisio enuntiationis in affirmativam et negativam esset accidentalis tantum et univoca quoad modum: cuius contrarium tenent auctor ille et ipse Joannes a S. Thoma. Oportet igi-

---

non significat partem quae est hircus, et *cervus* aliam partem, sed utrumque per se nihil de toto significant; sed *ambo coniuncta* significant *indivisibilem* intellectum hircocervi *totius*» (*I Periherm.*, tract. 2, cap. 2, p. 384a). «Quod si etiam nomen aliquod rei unius simplicis sit *compositum*, sicut *Adeodatus*, tamen, secundum quod unius rei simplicis nomen est, *incomplexa dictio* est: et hoc quod dico *adeo*, et hoc quod dico *datus*, nihil significant de intellectu totius nominati per hoc nomen *Adeodatus*» (*De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, p. 10a).

[1] Joannes a S. Thoma, *Cursus philosophicus*, Logica, I P., q. 5, a. 3, § Dico primo, ed. cit., t. I, p. 175b, et resp. ad 1 obi., p. 159.

tur intelligere utrobique particulam illam reduplicativam ut exponentem sensum formalem et essentialem nominis quod afficit.

Ac revera, illemet Auctor simpliciter pronuntiat paulo post divisionem enuntiationis in categoricam et hypotheticam esse analogam, absque ulla particula diminuente: «*haec etiam divisio enuntiationis est analogi in sua analogata, de quibus per prius et posterius dicitur*; nam unum simpliciter est prius uno coniunctione» [1]. Immo, et eam comparans cum divisione altera in affirmativam et negativam, «quae sunt *species* enuntiationis», subiungit: «licet enim affirmatio sit prior negatione, *non tamen propter hoc enuntiatio de eis analogice praedicatur, sicut dictum est quod praedicatur* [utique analogia] *de simpliciter una et coniunctione una*». Et hoc ideo, quia prioritas affirmativae supra negativam «est secundum *proprias* rationes vel naturas dividentium», idest secundum esse, et «non secundum maiorem participationem rationis illius *communis* quod in eas dividitur», siquidem ambae «*aequaliter* participant rationem *communem* [scilicet genericam] enuntiationis» [2]: quo fit, ut non sit divisio analoga sicut alia in categoricam et hypotheticam, quae importat prioritatem et posterioritatem in participanda ipsa ratione communi enuntiationis.

Constat ergo nullum adesse fundamentum in illo auctore pro sententia Joannis a S. Thoma, cum evidentissime contrariam tenet.

Secundo, quia non est intelligibile aliquam divisionem esse univocam quoad substantiam et analogam quoad modum, nisi univocitas sumatur secundum intentionem et analogia secundum rem vel esse, prout revera sumuntur a Joanne a S. Thoma [3]. Haec tamen acceptio incon-

---

[1] *Summa totius Logicae Aristotelis*, tract. 7, cap. 6, ed. Mandonnet, t. V, p. 83.

[2] *Ibid.*, post pauca.

[3] Joannes a S. Thoma, *Op. et loc. cit.*, in resp. ad 1, obi. pp. 159-160.

grua est, quia analogia inaequalitatis non est mera analogia modalis et accidentalis, sed essentialis et substantialis, sicut et inaequalitas differentiarum formalium et specierum, secundum quam sumitur, non est mere accidentalis et modalis sed vere substantialis et essentialis. Dicere ergo talem analogiam esse pure modalem et accidentalem, est contradictio in adiecto: pariterque pugna terminorum est esserere divisionem peractam secundum ipsam, esse analogam mere accidentaliter vel quoad modum tantum.

Ceterum, si ipsa essentia vel substantia enuntiationis dividentae in categoricam et hypotheticam est essentialiter univoca, ut opinatur Joannes a S. Thoma, sane non video quomodo suscipere valeat divisionem analogam, quia divisio respondere debet divisibili sicut proprius actus propriae potentiae: nisi dicatur divisionem huiusmodi esse mere accidentalem, quod falsum est, et ipse Joannes respuit; nam dicit «hanc divisionem dividere propositionem quoad *substantiam*» vel essentiam [1]. Et merito, quia sumitur secundum diversam rationem unitatis, non quidem mere praedicamentalis vel quantitativae, sed transcendentalis quae cum ente convertitur: ens autem transcendentale ut essentia, et similiter unitas transcendentalis, non sunt praedicata accidentalia enuntiationis, sed vere essentialia: «idem enim est dictum homo et unus homo, et similiter est idem dictum ens homo vel quod est homo; et non demonstratur aliquid alterum cum, secundum dictionem, replicamus dicendo: est ens homo, et homo, et unus homo» [2]: «quia, cum dicitur unus homo, non aliam naturam ab homine praedicat, sicut nec ipsum quod est ens praedicat aliam naturam a decem praedicamentis» [3], sed «pertinet ad *naturam* rei secundum quod

---

[1] *Ibid.*, § Dico primo, p. 157b.
[2] S. Thomas, *In IV Metaph.*, lect. 2, n. 550.
[3] *In X Metaph.*, lect. 3, n. 1976.

dividitur per decem genera» [1], et ideo «est praedicatum *substantiale* et pertinet ad quaestionem *quid est*» [2].

Similiter ratio, qua probare contendit sententiam suam, deficiens est. Ait enim quod «*sicut* terminus complexus et incomplexus *univoce* conveniunt, licet unus significet rem compositam, alius simplicem; *ita* hypothetica et categorica *univoce* conveniunt in significando veritatem, licet una sit simplex, alia composita» [3].

Quibus in verbis continetur sequens argumentatio analogica: ita se habent enuntiatio hypothetica et enuntiatio categorica in ratione enuntiationis, sicut se habent terminus complexus et terminus incomplexus in ratione termini. Atqui terminus complexus et terminus incomplexus *univoce* conveniunt in ratione termini, qui et proinde *univoce* dividitur in complexum et incomplexum ut genus in species. Ergo similiter enuntiatio hypothetica et enuntiatio categorica conveniunt *univoce* in ratione enuntiationis, quae ideo *univoce* dividitur in hypotheticam et categoricam ut genus in species.

Haec tamen argumentatio non urget. Respondetur enim *concedendo Maiorem, sed negando Minorem et conclusionem.*

Maior namque vera est, quia sicut terminus incomplexus se habet ad terminum complexum in ratione termini ut terminus simplex ad terminum compositum, idest ut terminus simpliciter unus ad terminum unum secundum quid; ita enuntiatio categorica se habet ad enuntiationem hypotheticam in ratione enuntiationis ut enuntiatio simplex ad enuntiationem compositam, hoc est, ut enuntiatio simpliciter una ad enuntiationem unam secundum quid.

Sed *Minor* est falsa. Ita enim se habet terminus simpliciter unus ad terminum unum secundum quid tantum,

---

[1] *In III Sent.*, d. 6, 2, 2c, n. 79.
[2] *In II Sent.*, d. 34, 1c.
[3] Joannes a S. Thoma, *Cursus philosophicus*, Logica, I P., q. 5, a. 3, § Dico primo, t. I, p. 158b.

sicut se habet unum simpliciter ad unum secundum quid tantum, nempe sicut se habet unum unitate absoluta simplicitatis ad unum unitate relativa compositionis. Atqui unum simpliciter et unum secundum quid non conveniunt univoce in ratione unitatis, sed analogice tantum; atque ideo unum dividitur in unum simpliciter et unum secundum quid ut analogum in analogata, et non ut univocum in univocata sive ut genus in species, ut constat ex supra dictis [1]. Ergo neque terminus simpliciter unus (=incomplexus) et terminus unus secundum quid tantum (=complexus) conveniunt univoce in ratione termini, sed analogice; ac proin terminus dividitur in complexum et incomplexum ut analogum in analogata, et non ut genus in species sive ut univocum in univocata.

Equidem scio terminum complexum et incomplexum non semper eodem sensu ab auctoribus accipi. Id tamen non impedit quominus semper, suo quoquo modo, terminus complexus comparetur ad incomplexum ut unus secundum quid ad unum simpliciter.

Quod quidem patet, si huiusmodi termini intelligantur *in sensu stricto et pure logico*, ut eos sumunt Aristoteles, S. Albertus Magnus, S. Thomas, Petrus Hispanus aliique maiores peripatetici. Pro logico enim «complexio et incomplexio non accidunt rei secundum quod res est [quia sic spectant ad considerationem physici vel metaphysici], nec etiam voci secundum quod vox est [quia hoc modo pertinent ad considerationem grammatici]; sed *accidunt voci secundum quod refertur ad intellectum simplicem vel compositum*» [2], prout scilicet significat terminum mentalem simplicem qui est verbum mentis simpliciter apprehendentis, vel terminum mentalem simplicem qui est verbum mentis componentis aut dividentis, idest iudicantis.

[1] Cf. *supra*, n. 716.
[2] S. Albertus Magnus, *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, ed. cit., t. I, p. 9b.

«Cum enim in re duo sint, quidditas rei et esse eius, his duobus respondet duplex operatio intellectus: una quae dicitur a philosophis formatio, qua apprehendit quidditates rerum, quae etiam a Philosopho in *III de Anima* dicitur indivisibilium intelligentia; alia autem comprehendit esse rei, componendo affirmationem, quia etiam esse rei ex materia et forma compositae, a qua cognitionem accipit, consistit in quadam compositione formae ad materiam vel accidentis ad subiectum» [1]. Et his duabus operationibus respondentibus duobus quae in re sunt, scilicet essentiae et esse, respondet duplex verbum mentis quasi duplex terminus mentalis duabus illis operationibus operatus et productus, nempe definitio et enuntiatio: «nam secundum operationem suam, quae dicitur indivisibilium intelligentia, format definitionem; secundum vero operationem suam, qua componit et dividit, format enuntiationem» [2].

Rursus, quia terminus oralis sive verbum oris est signum termini mentalis sive verbi mentis, nam «voces significativae formantur ad exprimendas conceptiones intellectus, ideo ad hoc quod signum conformetur signato, necesse est quod etiam vocum significativarum similiter quaedam significent sine vero et falso [idest sine complexione], quaedam autem cum vero et falso [hoc est, cum complexione]» [3]. Et sic termino mentali simplici respondet terminus oralis simplex vel incomplexus; ter-

[1] S. Thomas, *In I Sent.*, d. 38, 3c. Cf. etiam d. 19, 5, 1c.
[2] S. Thomas, *In Evangelium secundum Joannem*, cap. 1, lect. 1, ed. cit., p. 10a. «Ubi oportet intelligere quod *una* duarum operationum intellectus est *indivisibilium intelligentia*, in quantum scilicet intellectus intelligit *absolute* cuiusque rei *quidditatem sive essentiam per seipsam*, puta *quid* est homo vel *quid* album vel *quid* aliud huiusmodi; *alia* vero operatio intellectus est, *secundum quod huiusmodi simplicia concepta simul componit et dividit*» (*In I Periherm.*, lect. 3, n. 3). «Intellectus autem sive res intellecta se habet ut constitutum vel formatum per operationem intellectus: sive hoc sit quidditas *simplex*, sive sit *compositio et divisio* propositionis» (*De Spiritualibus creaturis*, 9 ad 6).
[3] *In I Periherm.*, lect. 3, n. 2. Cf. *In Evangelium secundum Joannem*, cap. 1, lect. 1, p. 10a.

mino autem mentali composito respondet terminus oralis compositus sive complexus. Quare S. Thomas: «id, inquit, ad quod operatio intellectus nostri terminatur, quod est ipsum intellectum…, dicitur conceptio intellectus; *sive sit conceptio significabilis per vocem incomplexam*, ut accidit *quando intellectus format quidditates rerum; sive per vocem complexam*, quod accidit *quando intellectus componit et dividit*» [1]. Et iterum: «duplex est operatio [intellectus nostri]. *Una*, qua format *simplices rerum quidditates*, ut *quid* est homo vel *quid* est animal: in qua quidem operatione non invenitur verum *per se* nec falsum, *sicut nec in vocibus incomplexis* [quae sunt earum signa]. *Alia* operatio intellectus est secundum quam *componit et dividit*, *affirmando vel negando*: et in hac iam invenitur verum et falsum, *sicut in voce complexa, quae est eius signum*» [2]. Quibus ex amussim respondent haec alia verba: «duplex est operatio intellectus. *Una*, quae comprehendit *quidditates simplices* rerum, et haec operatio vocatur a philosophis *formatio vel simplex intelligentia*: *et huic intellecto respondet vox incomplexa significans hunc intellectum*. Unde *sicut* in voce *incomplexa* non invenitur veritas et falsitas, *ita* nec in hac operatione intellectus: et ideo, *sicut* vox *incomplexa*, propter hoc quod non est in ea veritas et falsitas, non conceditur nec negatur; *ita*, secundum hanc operationem, intellectus non assentit nec dissentit. Et propter hoc, in hac operatione non potest inveniri fides, cuius est *assentire*. Sed in *alia* operatione qua intellectus *componit et dividit*, in qua iam invenitur verum et falsum, *sicut in enuntiatione* [quae est vox complexa ei respondens ut signum eius]: et propter hoc, intellectus in hac sua operatione assentit vel dissentit, *sicut et enuntiatio* conceditur aut negatur. Et ideo in hac operatione invenitur fides, quae habet *assensum*» [3]. «*Voces* enim *incom-*

[1] *De Verit.*, 4, 2c.
[2] *De Verit.*, 14, 1c.
[3] *In III Sent.*, d. 23, 3, 2, qla. 1c, nn. 135-136.

plexae, neque verum neque falsum significant; sed *voces complexae*, per affirmationem aut negationem, veritatem aut falsitatem habent. Dicitur autem hic affirmatio, *compositio*, quia significat praedicatum inesse subiecto; negatio vero dicitur hic *divisio*, quia significat praedicatum a subiecto removeri. *Et cum voces sint signa intellectuum, similiter dicendum est de conceptionibus intellectus*: quae enim sunt simplices, non habent veritatem neque falsitatem; sed solum illae quae sunt *complexae* per affirmationem vel negationem» [1].

Ergo a primo ad ultimum, sicut in re quidditas est simplex et incomplexa, esse autem et non-esse est compositum et complexum [2]; ita in intellectu est conceptus simplex et incomplexus significans quidditatem simplicem, conceptus vero complexus et compositus significans esse vel non esse eius; et in voce est terminus simplex et incomplexus immediate significans simplicem et incomplexum conceptum, complexus autem et compositus inmmediate significans conceptum compositum et complexum, idest compositionem aut divisionem duorum vel plurium conceptuum simplicium.

Et hac de causa *Aristoteles*, cuius ista doctrina est fidelis expressio, geminam distinxit mentis operationem: aliam, quam vocat τῶν ἀδιαιρέτων νόησιν; aliam, quam appellat σύνθεσιν νοημάτων [3]. Quarum prima versatur circa simplices quidditates, περὶ τὰ ἁπλᾶ; secunda vero circa composita, per modum compositionis et divisionis, περὶ σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν [4]. Et quia voces sunt signa

[1] *In VI Metaph.*, lect. 4, nn. 1223-1224. Videsis etiam S. Albertum Magnum, *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, t. I, p. 8b, 9-10; *De praedicamentis*, tract. 2, cap. 2, p. 383a; cap. 4, p. 389a; *In librum Boetii de Divisione*, cap. 1, ed. P. de Loe, OP., p. 14, 20-27. Bonnae 1913; *III de Anima*, tract. 3, cap. 1, t. 5, pp. 368-369.
[2] «Est autem *incomplexum*, de quo *quaeritur quid* sit; *complexum* autem, de quo quaeritur an verum vel fasum *sit*», scilicet an *sit* vel *insit*, aut *non sit* vel *non insit* (S. Albertus Magnus, *De Praedicabilibus*, tract. 1, cap. 5, p. 8b).
[3] Aristoteles, *III de Anima*, cap. 6, n. 1 (III, 468, 44-47).
[4] *V Metaph.*, cap. 4, n. 1 (II, 637, 22-32).

conceptum sicut conceptus sunt signa rerum[1], ideo conceptui simplici respondet vox simplex vel incomplexa, sicut et vox complexa respondet conceptui composito: τῶν λεγομένων τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται, τὰ δ'ἄνευ συμπλοκῆς. Τὰ μὲν οὖν κατὰ συμπλοκήν, οἷον ἄνθρωπος τρέχει, ἄνθρωπος νικᾷ· τὰ δ' ἄνευ συμπλοκῆς, οἷον ἄνθρωπος, βοῦς, τρέχει, νικᾷ[2].

719. Porro haec omnia, logice loquendo, considerantur formaliter secundum ordinem ad veritatem; et ideo hoc modo se habet inter se incomplexum et complexum quo se habent ad veritatem. Se habent autem ad veritatem secundum prius et posterius, itemque secundum quid et simpliciter: quod est se habere analogice, non univoce.

Nam, si loquamur de veritate *fundamentaliter*, veritas convenit τῷ *esse* per prius et simpliciter, non essentiae, nisi prout dicit ordinem ad esse: τὸ εἶναι σημαίνει καὶ τὸ ἔστιν ὅτι ἀληθές, τὸ δὲ μὴ εἶναι ὅτι οὐκ ἀληθὲς ἀλλὰ ψεῦδος[3]: τῷ γὰρ τὸ πρᾶγμα εἶναι, ἢ μὴ εἶναι, τούτῳ καὶ ὁ λόγος ἀληθὴς ἢ ψευδὴς εἶναι λέγεται[4]. «Cum enim dicimus aliquid *esse*, significamus propositionem *esse veram*; et cum dicimus *non esse*, significamus *non esse veram*»[5]: «nam *esse* et *esse verum* convertuntur»[6]. Quam ob rem, S. Thomas egregie scribit: «cum in re sit quidditas eius et suum esse, *veritas fundatur in esse rei magis quam in quidditate*...; et in ipsa operatione intellectus accipientis *esse rei sicut est* per quandam similationem ad ipsum, completur relatio adaequationis in qua consistit ratio veritatis. Unde dico, quod *ipsum esse rei est causa veritatis*, secundum quod est in cognitione intellectus»[7].

1 *I Periherm.*, cap. 1, nn. 2-3 (I, 24, 22-27).
2 *Categoriae*, cap. 2, n. 1 (I, 1, 17-20).
3 *IV Metaph.*, cap. 7, n. 6 (II, 521, 17-18).
4 *Categoriae*, cap. 2, n. 2 (I, 6, 29-30).
5 S. Thomas, *In V Metaph.*, lect. 9, n. 895.
6 *In I Post.*, lect. 4, n. 13.
7 *I Sent.*, d. 19, 5, 1c. «*Esse*... significat *veritatem compositionis* in propositionibus, secundum quod *est* dicitur *copula*; et secundum

Eodem proportionali modo, si loquamur de veritate *formaliter*, haec per prius et simpliciter dicitur de actu intellectus iudicantis, et nonnisi per posterius et secundum quid de actu intellectus simpliciter apprehendentis. Nam sicut *esse* per prius et simpliciter fundat veritatem formalem, *quidditas* autem nonnisi secundum quid et per posterius; ita veritas formalis per prius et simpliciter convenit actui intellectus iudicantis rem *esse* vel *non esse*, et nonnisi per posterius et secundum quid actui intellectus apprehendentis *quid* res sit vel non sit. «Veritas [formalis], inquit S. Thomas, *per prius* invenitur in compositione et divisione intellectus; *secundario* autem dicitur verum et per posterius in intellectu formante definitiones. Unde definitio dicitur vera vel falsa [non per se, sed per accidens vel per aliud, nempe] *ratione compositionis* verae vel falsae [quae in ea implicatur]: ut quando scilicet dicitur esse definitio eius cuius non est, sicut si definitio circuli assignetur triangulo; vel etiam quando partes definitionis non possunt *componi* ad invicem, ut si dicatur definitio alicuius rei animal insensibile: haec enim *compositio* quae *implicatur*, scilicet quod aliquod *animal* est *insensibile*, est falsa. *Et ideo definitio non dicitur vera vel falsa nisi per ordinem ad compositionem, sicut et res dicitur vera per ordinem ad intellectum.* Patet ergo ex dictis quod verum *per prius* dicitur *de compositione vel divisione* intellectus; *secundo, de definitionibus* rerum, *secundum quod in eis implicatur compositio vera vel falsa*» definitionis ad definitum vel partium definitionis inter se[1].

Et alio in loco: «cum aliquod *incomplexum* vel dicitur vel intelligitur, *ipsum quidem incomplexum, quantum est de se, non est rei aequatum nec rei inaequale*; cum aequalitas et inaequalitas secundum *comparationem*

hoc, est *in intellectu* componente et dividente quantum ad sui *complementum*, sed *fundatur in esse rei*, quod est actus essentiae, sicut supra de veritate dictum est» (*I Sent.*, d. 33, 1 ad 1).
1 *De Verit.*, 1, 3c.

dicantur; *incomplexum autem, quantum est de se, non continet aliquam comparationem vel applicationem ad rem. Unde, de se, nec verum nec falsum dici potest; sed tantum complexum, in quo designatur comparatio incomplexi ad rem per notam compositonis aut divisionis.*

Intellectus tamen incomplexus, intelligendo *quod quid est*, apprehendit quidditatem rei *in quadam comparatione ad rem*; quia apprehendit eam *ut huius rei quidditatem*. Unde, licet ipsum incomplexum, vel etiam definitio, non sit secundum se verum vel falsum, tamen intellectus apprenendens *quod quid est* dicitur quidem per se semper esse verus, ut patet in *III de Anima* [cap. 6, n. 7], etsi *per accidens* possit esse falsus, in quantum vel definitio includit aliquam complexionem, *vel* partium definitionis ad invicem *vel* totius definitionis ad definitum. Unde definitio dicetur, secundum quod intelligitur ut huius vel illius rei definitio, secundum quod ab intellectu accipitur, *vel* simpliciter falsa si partes definitionis non cohaereant invicem, ut si dicatur *animal insensibile*; *vel* falsa secundum hanc rem, prout definitio circuli accipitur ut trianguli» [1].

Et similiter dicendum est, si loquamur de veritate *significative*, prout scilicet convenit termino orali: nam termino complexo, qui est enuntiatio vel propositio, convenit significare simpliciter et per prius veritatem formalem intellectus; termino autem incomplexo, qui est simplex nomen vel definitio, non convenit significare praedictam veritatem nisi per posterius et secundum quid. Et hoc ideo, quia «*voces eodem modo recipiunt veritatis praedicationem sicut intellectus quos significant*» [2].

Quae omnia uno veluti tractu expressit S. Doctor hisce verbis: «cum sit *duplex operatio* intellectus, *una* quarum dicitur a quibusdam *imaginatio intellectus*, quam

---

1 *I Contra Gent.*, cap. 59, arg. 2.
2 *De Verit.*, 1, 3c, in fine.

Philosophus *III de Anima* nominat *intelligentiam indivisibilium*, quae consistit in apprehensione quidditatis simplicis, quae alio etiam nomine *formatio* dicitur; *alia* est quam dicunt *fidem*, quae consistit in compositione vel divisione propositionis: *prima* operatio respicit *quidditatem* rei; *secunda* respicit *esse* ipsius.

Et quia ratio veritatis fundatur in esse et non in quidditate, ut dictum est [in corp. art.], *ideo veritas et falsitas proprie invenitur in secunda operatione [formaliter], et in signo eius quod est enuntiatio [significative]; et non in prima [formaliter], vel signo eius* quod est definitio [*significative*], *nisi secundum quid*; sicut etiam quidditatis *esse* est *quoddam esse rationis*, et *secundum istud esse* dicitur veritas [formaliter] in *prima* operatione intellectus; per quem etiam modum dicitur *definitio* vera [significative].

Sed huic veritati non adiungitur falsitas per se, quia intellectus habet verum iudicium de proprio obiecto in quod naturaliter tendit, quod est quidditas rei, sicut et visus de colore; sed *per accidens admiscetur falsitas*, scilicet ratione affirmationis vel negationis *annexae*, quod contingit dupliciter: *vel* ex comparatione *definitionis ad definitum*, et tunc dicitur definitio falsa *respectu alicuius et non simpliciter*, sicut definitio circuli est falsa de triangulo; *vel* in respectu *partium definitionis ad invicem* in quibus *implicatur* impossibilis affirmatio; sicut definitio vacui quod est *locus in quo nullum corpus est*, et haec definitio dicitur falsa simpliciter» [1].

Idem etiam constat, si terminus complexus et terminus incomplexus sumantur *in sensu quodam largiori et non pure logico, sed partim logico et partim grammaticali*, ut eos intelligere solent posteriores scholastici. Hoc

---

1 *I Sent.*, d. 19, 5, 1 ad 7. Cf. etiam *De Verit.*, 1, 3c, initio, una cum 2c. et 4c, 5 obi. 12 et 12c; *In VI Metaph.*, lect. 4, nn. 1232-1233, 1236-1237; *In III de Anima*, lect. 11, nn. 760-763; *In I Periherm.*, lect. 3, nn. 2-3; lect. 7, nn. 2-3; *Summa theol.*, I, 16, 2c.

enim modo dicitur terminus *incomplexus* ille, qui unum uno tantum nomine significat, atque ideo est unus tam logice (=unum significans) quam grammaticaliter (=uno tantum nomine): verbi gratia, homo, equus, arbor. Qua in re aequiparantur nomen simplex et nomen compositum, ut armiger, campidominus, archiepiscopus, quia revera nomen compositum est nomen unum rem unam significans, quin partes eius sint per se separatim significativae [1]. *Complexus*, e contra, est ille terminus qui unum quidem significat, ac proin est logice unus; pluribus tamen nominibus non synonymis, atque idcirco est grammaticaliter multiplex: exempli gratia, definitio hominis, quae est *animal rationale*.

Definitio enim constare nequit uno solo nomine, sed pluribus, saltem duobus, ut patet in adducta definitione hominis. Et hoc ideo quia, ut optime ait S. Thomas, «omnis definitio est quaedam *ratio*, idest *quaedam compositio nominum per rationem ordinata. Unum enim nomen non potest esse definitio*, quia definitio oportet quod *distincte* notificet principia rerum quae concurrunt ad essentiam rei constituendam: alias autem definitio non sufficienter manifestaret essentiam rei. Et propter hoc dicitur in *I Physicorum* [cap. 1, n. 5] quod *definitio* dividit definitum in singulare, idest *exprimit distincte singula principia definiti. Hoc autem non potest fieri nisi per plures dictiones*: unde una dictio non potest esse definitio, sed potest esse manifestativa eo modo quo nomen minus notum manifestatur per magis notum. Omnis autem ratio *partes habet, quia est quaedam oratio composita, et non simplex nomen*» [2].

Sic ergo «necessarium est omnem definitivam rationem esse *ex pluribus nominibus*. Ille enim qui definit, non faciet notificationem rei ponendo unum nomen tantum; quia si poneret unum tantum nomen, adhuc definitum remanebit nobis ignotum. Contingit enim uno nomine notiore assignato, ipsum nomen definiti notificari; non autem rem definitam, nisi principia eius exprimantur per quae res omnis cognoscitur.

[1] Cf. *In I Periherm.*, lect. 4, n. 9.
[2] *In VII Metaph.*, lect. 9, n. 1460.

Resolutio autem definiti in sua principia, quod definientes facere intendunt, non contingit nisi *pluribus nominibus positis*. Et ideo dicit [Aristoteles] quod, si unum nomen tantum ponatur, adhuc remanebit definitum ignotum; sed, si *plura* ponantur, oportet quod nomina posita sint *communia omnibus*. Si enim in definitione alicuius singularis ponantur aliqua nomina quae conveniunt ipsi soli, erunt *synonyma* nomina unius rei singularis: unde *res* non notificabitur huiusmodi nominibus positis, sed forte *nomen* minus notum. Sicut si diceremus *quid est Tullius*, et responderetur *Marcus* et *Cicero*, non esset conveniens definitio» [1].

Itaque «*nomen* est sicut quoddam *totum* et *indistinctum*, sed *definitio* dividit in singularia, idest *distincte* ponit *principia* definiti» [2]: vel, ut ait S. Albertus Magnus, «nomen *implicite* dicit ea quae sunt in definitione; et definitio *explicite* dicit ea quae sunt in nomine» [3].

Plura autem nomina adunata et ordinata sunt *oratio* quaedam, utpote cuius singulae partes, idest singula nomina ex quibus componitur, per se et separatim aliquid significant [4]. Consequenter definitio est *oratio* quaedam, et non simplex nomen. Et propter hoc, in definitione definitionis poni debet *oratio*, dicendo quod «definitio est *oratio* significans *quid* est esse» [5]; «nam definitio est *oratio* indicans *quid* est res» [6], «quia definitio est *oratio* significans *quod quid est*» [7].

[1] *Ibid.*, lect. 15, nn. 1614-1616.
[2] *In I Physicorum*, lect. 1, n. 10.
[3] S. Albertus Magnus, *Summa theol.*, II P., tract. 10, q. 37, memb. 2, ad 4, ed. cit., t. 32, p. 414a. Cf. etiam I P., tract. 6, q. 25, memb. 1, t. 31, p. 204a
[4] S. Thomas, *In I Periherm.*, lect. 4, nn. 8-9, lect. 6, n. 4.
[5] *In I Sent.*, d. 33, 1 ad 1.
[6] *In IV Physic.*, lect. 5, n. 3.
[7] *In II Post.*, lect. 2, n. 2.

Non est tamen oratio perfecta, sed imperfecta. Est enim perfecta oratio, illa quae «complet *sententiam*», idest «quae facit *perfectum sensum* in animo audientis»[1]; et hoc est proprium iudicii, cuius est affirmare vel negare et in quo est verum vel falsum formaliter[2]. Unde oratio perfecta est maxime oratio enuntiativa, quae est terminus oralis logice complexus, utpote significans terminum mentalem complexum intellectus iudicantis[3]. Quia ergo definitio spectat ad primam operationem mentis et ab enuntiatione contradistinguitur, consequens est ut ad orationem *imperfectam* reducatur. Et ideo S. Thomas: «non solum, inquit, nomen unum sine verbo non facit orationem perfectam enuntiativam, sed nec etiam *oratio imperfecta. Definitio enim oratio quaedam est*: et tamen, si ad rationem hominis, idest definitionem, non addatur aut *est*, quod est verbum, aut *erat*, aut *fuit*, quae sunt casus verbi, aut aliquid huiusmodi, idest aliquod aliud verbum seu casus verbi, *nondum est oratio enuntiativa*» et perfecta[4]. Nam «de orationibus *imperfectis* manifestum est quod non significant verum vel falsum; quia, cum non faciant perfectum sensum in anima audientis, manifestum est quod perfecte non exprimunt iudicium rationis, in quo consistit verum vel falsum»[5]. Et hac de causa «*in definitione non praedicatur aliquid de aliquo*: sicut in hac definitione, *homo est animal bipes*, neque animal praedicatur de bipede, neque bipes de animali; et similiter in hac definitione, *circulus aut triangulus est figura plana*, nec planum praedicatur de figura, neque e converso. Si enim partes definitionis adiungerentur sibi invicem, oporteret quod praedicatio intelligeretur per modum convenientem definitioni, scilicet in eo *quod quid est*. Hoc autem non videmus: nec enim genus praedica-

[1] *In I Periherm.*, lect. 7, n. 4; lect. 5, n. 17.
[2] Cf. *In III Sent.*, d. 23, 2, 2, qla. 1c, n. 137; *De Verit.*, 14, 1c.
[3] Cf. *supra*, hoc ipsomet in numero.
[4] *In I Periherm.*, lect. 8, n. 8.
[5] *In I Periherm.*, lect. 7, n. 4.

tur in eo *quod quid est* de differentia, neque e converso»[1].

Licet ergo, grammaticaliter loquendo, oratio definitiva sit terminus complexus, utpote plura nomina per se significativa continens, logice tamen et proprie est terminus incomplexus, «in quantum simpliciter significat unum de re una cuius est ratio, et hoc non secundum accidens..., quia essentia cuiuslibet rei est una»[2]. «Unde et ea quae ponuntur in definitione, ad significandum unitatem, debent poni *absque copula*: puta ut dicatur quod homo est *animal gressibile bipes*, non autem debet dici quod homo sit animal *et* bipes»[3]. «Quia si interponeretur *coniunctio* partibus definitionis, iam secunda determinaret primam, sed significarentur *ut actu multae* in locutione: et idem operatur interpositio *morae*, qua utuntur rhetores loco coniunctionis. Unde ad unitatem definitionis requiritur quod partes eius proferantur *sine coniunctione et interpolatione*; quia etiam in re naturali, cuius est definitio, *nihil cadit medium* inter materiam et formam» vel inter potentiam et actum[4].

Equidem «partes definitionis significant partes rei, in quantum *a* partibus rei sumuntur partes definitionis; non ita [tamen] quod partes definitionis sint partes rei [vel ponantur ad significandas partes rei]. Non enim animal est pars hominis neque rationale»[5], neque animal ponitur in definitione hominis ad significandam unam partem eius, et rationale ad significandam aliam; sed utrumque nomen significat *totum* hominem. «Unde animal dicit totum et similiter rationale mortale; et ideo homo non dicitur esse ex animali et rationali et mortali, sed dicitur esse animal rationale mortale». Diversimode tamen totum hominem significant: quia «genus significat

[1] *In II Post.*, lect. 2, n. 11.
[2] *Ibid.*, lect. 8, n. 6.
[3] *Op. cit.*, lect. 5, n. 8.
[4] *In I Periherm.*, lect. 8, n. 11.
[5] *In VII Metaph.*, lect. 9, n. 1463.

totum ut non designatum, et differentia ut designans, et definitio ut designatum sicut et species»[1], licet cum quadam differentia: quia species actu explicat totam rem, *indistincte* tamen; definitio autem totam rem explicat actu et *distincte*[2].

Porro hos terminos praedicto modo sumptos non convenire univoce, sed analogice tantum, facile probatur. Si namque sumantur *mere grammaticaliter*, simplex nomen, quod est terminus incomplexus, comparatur ad orationem definitivam, quae est terminus complexus, ut unum ad multa, vel si mavis ut unum absolute et simpliciter ad unum compositione et secundum quid. Constat autem unum et multa sive unum unitate simplicitatis et unum unitate compositionis non convenire univoce, sed tantum analogice in ratione unitatis.

Sin autem *logice* considerentur, terminus complexus sive oratio est simpliciter et omnibus modis significativus, quia significat et secundum totum et secundum partes per se separatim sumptas; dum e contra, terminus incomplexus, utpote simplex nomen, non est omnimode et simpliciter significativus, quia solum significat secundum totum, non secundum partes per se separatim sumptas. Comparatur ergo in ipsa communi ratione termini significativi ut simpliciter ad secundum quid, atque ideo analogice.

Praesertim vero haec analogia patet, si accipiantur secundum ordinem ad verum vel falsum significandum. Simplex nomen enim, eo ipso quod non coalescit ex partibus per se separatim significativis, nullam falsitatem in seipso et simpliciter suscipere valet, sed solum secundum applicationem ad nominatum quam implicare potest: qua ratione, nomen unius rei applicatum et attri-

[1] *In I Sent.*, d. 25, 1 ad 2. Cf. etiam *II Sent.*, d. 3, 1, 5c; *De ente et essentia*, cap. 3; *In X Metaph.*, lect. 10, nn. 2114-2116.

[2] Cf. Caietanum, *In opusculum De ente et essentia*, cap. 3, n. 45, ed. cit., p. 67.

butum alii vocamus *falsum* nomen; et nomen alienum voluntarie assumptum ad propriam personam occultandam, vulgo dicitur ψευδώνυμον. Oratio, ex adverso, etiam imperfecta, ut est definitio, eo ipso quod constat ex pluribus nominibus per se separatim significativis, potest esse falsa dupliciter, pro duplici compositione quam implicat: aliam *definitionis ad definitum*, et sic est falsa quando definitio unius attribuitur alii, «ut si animal rationale mortale [quae est definitio hominis] conciperet quasi definitionem asini»; aliam *partium definitionis inter se*, «in quantum coniungit partes definitionis ad invicem quae coniungi non possunt»[1], idest «secundum quod partes definitionis componit ad invicem quae simul sociari non possunt; sic enim definitio non solum est falsa *respectu alicuius rei*, sed est falsa *in se*: ut si formet talem definitionem, *animal rationale quadrupes*, falsus est in formando hanc compositionem: *aliquod animal rationale est quadrupes*»[2].

Nimirum, falsitas *significative* potest, *per accidens*, convenire tam simplici nomini quam definitioni sive orationi imperfectae: diversimode tamen, quia nomini *mere extrinsece tantum*, idest respectu alieni subiecti vel quasi materiae cui applicatur[3]; definitioni autem non solum hoc modo, verum et *praecipue secundum ipsam intestinam eius constitutionem ex nominibus incohaerentibus et contradictoriis*. Et ideo significare per accidens falsitatem convenit definitioni et simplici nomini secundum prius et posterius: perfecte quidem et complete in hac linea convenit definitioni; simplici nomini autem, nonnisi imperfecte et diminute. Quo fit, ut hac in re ita se habeat simplex nomen ad orationem imper-

[1] S. Thomas, *De Verit.*, 1, 12c.

[2] *Summa theol.*, I, 17, 3c. Cf. etiam *In V Metaph.*, lect. 22, nn. 1130-1132.

[3] «Si enim *definitio* de eo cuius non est, falsa est, tunc etiam *nomen* de eo cuius non est, falsum est» (S. Albertus Magnus, *V Metaph.*, tract. 6, cap. 14, t. VI, p. 376a).

fectam sive definitionem, sicut se habet oratio imperfecta ad perfectam, quae est enuntiatio. Quemadmodum enim significare falsitatem convenit analogice enuntiationi falsae et definitioni falsae, quia illi convenit per se, huic autem per accidens tantum ratione compositionis enuntiativae in ea implicatae; ita significare per accidens falsitatem convenit analogice definitioni falsae et nomini falso, quia illi convenit complete et simpliciter, huic vero diminute tantum et secundum quid sive respectu eius cui falso attribuitur tantum [1], nempe ratione applicationis vel comparationis nominis ad nominatum quam nomen participat ab applicatione vel comparatione definitionis ad definitum, quia simplex nomen se habet ad definitionem ut pars ad totum et ut implicitum ad explicitum [2].

Sed redeundo ad id unde digressi sumus, quia nomen *termini* significare videtur aliquid *ultimum* et *indivisum*, semper verum est terminum simplicem vel incomplexum habere simpliciter rationem termini; compositum autem sive complexum, nonnisi secundum quid. Quam ob rem, libenter subscribimus hisce verbis Joannis ab Annuntiatione: «solus incomplexus est *simpliciter terminus*; complexus autem, cum simpliciter sit *oratio*, solum *secundum quid habet rationem termini. Et ideo praedicta divisio* [termini categorematici in complexum et incom-

---

[1] S. Thomas, *In I Sent.*, d. 19, 5, 1 ad 7; *In III de Anima*, lect. 11, n. 763.

[2] «Nomen nihil aliud est nisi *implicita* definitio, et definitio est nominis per singula *explicatio*» (S. Albertus Magnus, *I Ethic.*, tract. 5, cap. 2, t. VII, p. 59a). «Omnis definitio *explicans* per essentialia definitum, est *oratio*; quia essentialia constituentia rem secundum quod sunt essentiae, *uno nomine explicite significari non possunt: et ideo omnis definitio est oratio, et non potest esse nomen unum*» (Idem, *I Topic.*, trat. 2, cap. 2, t. II, pp. 253-254). Consequenter definitio est «*quaedam oratio explicite et per partes potentiae et actus significans quid essentialiter et substantialiter est esse rei definitae*, ita quod perfectum esse sit demonstrans, et totum secundum partes, et ordinem ad ultimum quod respectu omnium praecedentium est actus et complementum» (*Ibid.*, p. 253a): et sic «oratio definitiva explicite dicit quidquid nomen dicit implicite» (*ibid.*, p. 253b).

plexum] *est analoga*» [1]. Et idem docet Petrus de Candamo, O. P. [2], sicut et de divisione enuntiationis in categoricam et hypotheticam [3]: et ait rationes Joannis a S. Thoma vel eis similes, quas reticito nomine refert, *parum urgere* [4].

720. Similiter putat *Joannes a S. Thoma substantiam dividi* in primam et secundam *divisione univoca* quoad substantiam, analoga vero quoad modum tantum [5]: nam id quod dividitur hac divisione est substantia praedicamentalis, quae est genus quoddam, scilicet primum praedicamentum, et ideo quid univocum; membra etiam in quae fit divisio participant aequaliter rationem communem substantiae, quia tam vere et intrinsece ratio substantiae convenit substantiae secundae sicut primae; attamen, quia fit secundum modos substandi vel status singularitatis et universalitatis, accedit ad divisionem analogam quae fit per modos et non per differentias sicut genus. Opinatur ergo Joannes huiusmodi divisionem non esse omnino univocam neque totaliter analogam, sed partim univocam et partim analogam, licet magis sit dicenda univoca quam analoga, quia substantialiter est univoca et nonnisi modaliter est analoga [6]. Et addit hanc esse communem sententiam thomistarum [7].

Sed fallitur vehementer. Substantiam enim non dici univoce, sed analogice, de substantia prima et de substantia secunda, docuerunt plures graeci commentato-

---

[1] *Novissimus Collegii complutensis Fratrum Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmeli Artium cursus ad breviorem formam collectus et novo ordine atque faciliori stylo dispositus per* R. P. Fr. Joannem ab Annuntiatione, t. I, *Breves institutiones ad Logicam, quas Summulas vocant*, lib. II, cap. 3, p. 8a. Patavii 1675.

[2] Petrus de Candamo, *Dialectica*, lib. I, cap. 3, q. 26, nn. 10-14, pp. 264-255; n. 24, p. 257. Vallisoleti 1701.

[3] *Op. cit.*, lib. II, cap. 5, q. 20, nn. 3-5, pp. 435-436.

[4] *Ibid.*, n. 10, p. 437a.

[5] Joannes a S. Thoma, *Cursus philosophicus*, Logica, I P., q. 5, a. 3, § Solvuntur obiectiones, ad 1, t. I, p. 159.

[6] Cf. *op. cit.*, Logica, II P., q. 15, a. 2, pp. 530-531.

[7] *Op. et loc. cit.*, p. 159a, 530a.

res, ut Olympiodorus et Elias [1], quos secuti sunt S. Albertus Magnus et S. Thomas.

«Substantia prima, inquit S. Albertus Magnus, principalior est quam secunda substantia, quae propter hoc secunda vocatur quia posterior est et dependet a prima secundum esse; eo quod, destructis primis, impossibile est aliquid aliorum remanere: universale autem, aut nihil est, aut posterius» est [2]. Substantia enim secunda est substantia universalis, puta animal, universaliter consideratum: τὸ δὲ ζῷον τὸ καθόλου ἤτοι οὐθέν, ἢ ὕστερον· ὁμοιως δὲ κἂν εἴ κοινὸν ἄλλο κατηγοροῖτο [3]. «Sic ergo secunda substantia dicitur quod secundo stat, ut *substantia communis non aequaliter praedicetur de prima substantia et de secunda*. Ut cum dicitur: substantiarum alia prima, alia secunda, sit *divisio multipliciter dicti*, secundum hoc quod substantia dicitur ab actu et causa substandi» [4]. Et hac de causa «substantiam, quae communis est ad primam et secundam, non definivit Aristoteles, quia *multipliciter est dicta de illis*» [5].

Quibus in verbis docere videtur analogiam attributionis substantiae secundae ad substantiam primam, licet alio in loco eam reducat ad analogiam simplicis inaequalitatis quae simul stat cum univocitate logica generis. «Univocum, ait, de multis dicitur uno modo et ratione una, licet forte magis et minus communicat illis de quibus univoca praedicatione praedicatur: *sicut substantia maxime dicitur de prima substantia et minus de secunda, si ab actu substandi substantia dicatur*» [6]. Quia tamen obiter et per transennam tantum loquebatur de hac re in hoc ultimo loco, dum in *Praedicamentis* data opera

[1] Cf. *supra*, nn. 575, 576.
[2] S. Albertus Magnus, *VII Metaph.*, tract. 1, cap. 2, t. VI, p. 403b.
[3] Aristoteles, *I de Anima*, cap. 1, n. 5 (III, 431, 36-38).
[4] S. Albertus Magnus, *De Praedicamentis*, tract. 2, cap. 3, t. I, p. 170a.
[5] *Ibid.*, p. 171b.
[6] *IV Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. VI, p. 206a.

quaestionem versabat, sana methodus critica suadet standum esse his quae ibi docebat.

Praesertim vero S. Thomas analogiam attributionis aperte tradidit. Docet enim *in primis* divisum hac divisione esse substantiam communiter et absolute dictam prout abstrahit a modis sive statibus universalitatis et singularitatis quos induere potest secundum quod est in intellectu vel secundum quod est in re: «dicitur substantia *communiter* prout abstrahit a substantia prima et secunda, et sic sumitur hic» [1]; «substantia non ponitur in definitione personae pro hypostasi, sed pro eo quod est *commune* ad substantiam primam quae est hypostasis et substantiam secundam, et dividitur in utraque» [2]; «substantia dicitur *communiter*, prout dividitur per primam et secundam» [3].

Docet *praetera* substantiam hoc modo sumptam dividi in primam, quam etiam appellat singularem [4], particularem [5] et individuam [6]; et in secundam, quam vocat etiam universalem [7]: «substantia dividitur in universalem et particularem, idest in substantiam primam et secundam» [8], quasi in suppositum vel hypostasim et naturam; «substantia enim, secundum Philosophum [*Categoriae*, cap. 3, nn. 1-2], dicitur dupliciter, scilicet pro supposito in genere substantiae, quod dicitur hypostasis, et de eo quod quid est quod est natura rei» [9].

[1] S. Thomas, *I Sent.*, d. 25, 1c. Cf. *In I de Anima*, lect. 1, n. 13.
[2] *De Pot.*, 9, 2 ad 7.
[3] I, 29, 1 ad 2.
[4] *In V Metaph.*, lect. 7, n. 846; lect. 10, n. 903; *In I Periherm.*, lect. 10, n. 3; *De Pot.*, 9, obi. 1-2, 4 et ad 1 et 2; I, 29, 1c.
[5] *I Sent.*, d. 23, 1c; d. 35, 1c et ad 8; *In V Metaph.*, lect., 10, n. 903; *In VII Metaph.*, lect. 2, n. 1273; *In I Post.*, lect. 37, n. 8; *In I de Generatione et Corruptione*, lect. 10, n. 8; *IV Contra Gent.*, cap. 49 ad 10; I, 29, 1 ad 3; 75, 4 obi. 2 et resp.
[6] *I Sent.*, d. 25, 1c et ad 7; *De Pot.*, 9, 2c, obi. 2 et resp., obi. 6 et resp., obi, 12-13 et resp.; I, 29, 1c et ad 1.
[7] *In V Metaph.*, lect. 7, n. 846; lect. 10, n. 903; De Pot., 9, 2, obi. 7; I, 75, 4 obi. 2; *In I Post.*, lect. 37, n. 8.
[8] *In I Physic.*, lect. 3, n. 2.
[9] *IV Contra Gent.*, cap. 49 ad 10.

Explicat *tertio* differentiam utriusque, hisce verbis: «substantia *duobus modis* dicitur, quorum *unus* est secundum quod substantia dicitur *id quod ultimo subiicitur in propositionibus, ita quod de alio non praedicitur, sicut substantia prima.* Et hoc est quod est *hoc aliquid,* quasi per se subsistens; et *quod est separabile,* quia est ab omnibus distinctum; et *non communicabile multis.*

Et *quantum ad haec tria differt substantia particularis ab universali. Primo* quidem, quia substantia particularis non praedicatur de aliquo inferiori, sicut universalis; *secundo,* quia substantia universalis non subsistit nisi ratione singularis quae per se subsistit; *tertio,* quia substantia universalis est in multis, non autem singularis, sed est ab omnibus separabilis et distincta.

Sed *etiam* forma et species uniuscuiusque rei dicitur tale, idest substantia» [1], nempe ipsa quidditas vel essentia rei substantialis, quae includit omnia essentialia principia eius; «et ideo genus et species dicuntur esse *sub*nam genus et species non significant tantum formam, sed *totam rei essentiam*» [2].
stantia eorum de quibus praedicantur, hoc ultimo modo:

Et alibi: «subiectum, idest substantia particularis dicitur esse substantia. *Dicitur autem subiectum de quo alia dicuntur,* vel sicut superiora de inferioribus, ut genera et species et differentiae; vel sicut accidens praedicantur de subiecto, ut accidentia communia et propria; sicut de Socrate praedicatur homo, animal, rationabile, risibile et album: *ipsum autem subiectum non praedicatur de alio.* Quod est intelligendum *per se*: per accidens enim nihil prohibet Socratem de hoc albo praedicari, vel de animali, vel de homine; quia id cui inest album, aut

[1] *In V Metaph.*, lect. 10, nn. 903-904.
[2] *Ibid.*, n. 902. «Substantiae enim singulares nec sunt in subiecto nec de subiecto praedicantur; unde tantum substant et nihil eis substat. Substantiae quidem universales dicuntur de subiecto, sed non sunt in subiecto: unde non substant accidentibus, et eis aliquid substat» (*In V Metaph.*, lect. 7, n. 846).

animal, aut homo, Socrates est. De seipso autem praedicatur per se, cum dicitur: Socrates est Socrates.

Patet autem quod subiectum hic dicitur quod in *Praedicamentis* nominatur *substantia prima,* ex hoc quod eadem definitio datur de subiecto hic, et ibi de substantia prima. Unde concludit [Aristoteles] quod determinandum est de hoc, idest de subiecto vel de *substantia prima,* quia tale subiectum maxime videtur substantia esse. Unde in *Praedicamentis* dicitur quod talis substantia est quae proprie et principaliter et maxime dicitur. *Huiusmodi enim secundum se omnibus aliis substat, scilicet speciebus et generibus et accidentibus: substantiae vero secundae, idest genera et species, substant solis accidentibus; et hoc etiam non habent nisi ratione primarum,* homo enim est albus in quantum hic homo est albus [1].

Unde patet quod fere eadem est divisio substantiae hic posita cum illa quae ponitur in *Praedicamentis*: nam per subiectum intelligitur hic substantia prima. Quod autem dixit [Aristoteles] genus et universale, quod videtur ad genus et speciem pertinere, continetur sub substantiis secundis. Hoc autem *quod quid erat esse* hic ponitur, sed ibi praetermittitur, quia non cadit in praedicamentorum ordine nisi sicut principium; neque enim est genus neque species neque individuum, sed horum omnium formale principium» [2].

Et inde apparet, *quarto,* quomodo se habeat substantia secunda ad substantiam primam, nempe ut ens rationis ad ens reale; quia substantia secunda est substantia *logica,* scilicet genus aut species, dum substantia prima est substantia *realis,* quae ob id appellatur *res*

[1] «Genera enim et species non substant accidentibus nisi ratione individuorum, et ideo nomen substantiae primo et principaliter convenit particularibus substantiis» (*I Sent.*, d. 23, 1c). «Subsistere attribuitur generibus et speciebus, non quia subsistant, sed quia individua in eorum naturis subsistunt, etiam omnibus accidentibus remotis» (*De Pot.*, 9, 1 ad 5).
[2] *In VII Metaph.*, lect. 2, nn. 1273-1275.

naturae[1]. Et hac de causa, *esse et agere* est suppositorum vel singularium, idest substantiarum primarum[2], non specierum aut generum sive substantiarum secundarum; quia «*unumquodque secundum idem habet esse et individuationem*: universalia enim non habent esse in rerum natura ut universalia sunt, sed solum secundum quod sunt individuata»[3].

Ex quo etiam sequitur solas primas substantias significare *hoc aliquid*, τόδε τι σημαίνει; secundas vero potius significare *quale quid*, ποιόν τι[4], videlicet *quid qualificatum* ut species vel *quid qualificabile* ut genus[5]. «*Hoc aliquid*, ait ad rem S. Thomas, *proprie dicitur individuum in genere substantiae*. Dicit enim Philosophus in *Praedicamentis* quod *primae substantiae* indubitanter *hoc aliquid significant*; *secundae vero substantiae*, etsi videantur hoc aliquid significare, magis tamen *significant quale quid*»[6].

---

1 «Sicut *hic homo* est *res naturae*» (I, 20, 2c).

2 «Esse est solius suppositi» (*De principio individuationis*, ed. Mandonnet, t. V, p. 195); «actus individuorum sunt» (*II Sent.*, d. 32, 1, 2c); «actus sunt suppositorum» (I, 39, 5. ad 1); «actus singularium sunt» (*In V Metaph.*, lect. 3, n. 794. Cf. *In I Metaph.*, lect. 1, n. 20); «actiones sunt singularium» (I-II, 1, 7 obi. 2); «actiones particularium sunt» (I-II, 20, 6c); «actiones sunt suppositorum et totorum» (II-II, 58, 2c); «actiones sunt suppositorum et individuorum» (III, 13c). Porro «eius est agere cuius est esse» (*II Contra Gent.*, cap. 50, arg. 3), quia «nihil agit nisi secundum quod est actu» (I, 76, 1c), et ideo «agere sequitur ad esse in actu» (*III Contra Gent.*, cap. 69, arg. 8).

3 *Quaest. disp. de Anima*, 1 ad 2.

4 Aristoteles, *Categoriae*, cap. 3, n. 16 (I, 5, 5-6; 10).

5 Ut enim egregie scribit Caietanus, «secundae substantiae significant *quale quid*, quia important quidditatem importatam per genus et qualitatem importatam per differentiam: verbi gratia, homo significat *quale quid*, quia significat animal rationale; animal enim est *quid* et rationale est *quale*: et similiter est in aliis secundis substantiis. Et si instetur contra, quia secundum hoc genus generalissimum substantiae non est secunda substantia cum non significet quale quid sed quid tantum, cum genus generalissimum nullam differentiam includit: -respondetur quod *genus generalissimum*, etsi non dicat quale in actu, dicit tamen quale *in potentia*; unde proprie loquendo deberet dici de ipso quod significat *quid qualificabile*» (*Commentarium in h. l. Aristotelis*, ed. cit., pp. 68-69).

6 S. Thomas, *Quaest. disp. de Anima*, 1c.

Et uberius alio in loco: «*accipiendo*, inquit, *animal sine intentione universalitatis, proprie non est praedicabile, quia sic est substantia prima, quae neque in subiecto est neque de subiecto dicitur; sed accipiendo animal sub intentione universalitatis, quo modo individuum accipi non potest propter repugnantiam universalitatis ad individuationis principia, animal et homo dicuntur secunda esubstantiae, quarum proprietas est de prima praedicari*, ut habetur in *Praedicamentis* [cap. 3]. Quem modum considerationis de substantia metaphysicus non habet, qui considerat eam solum secundum quod est ens in se; et ideo secundum eum substantia non dicitur de subiecto nec est in subiecto, ut dicitum est supra[1].

Quod autem substantia praedicetur de subiecto, habet *inquantum per actum rationis induit naturam accidentis: quod ratio enim nostra facit circa substantiam, accidens est et non substantia*. Et ideo Philosophus in libro *Praedicamentorum* [cap. 3, n. 16) dicit *substantias secundas per quandam nominis similitudinem hoc aliquid* significare, quod est proprium substantiae primae, ut cum dicitur homo vel animal; sed, *secundum rei veritatem, magis significant quale quid, in quantum per actum rationis transeunt in similitudinem accidentis, non amittendo substantiam propriam in rerum natura sed accipiendo rationem uniformitatis in anima*. Et ideo dicit illas significare *quale quid, quia qualitatem, idest uniformitatem, per quam fiunt universalia per actum rationis, circa substantias quasdam, res scilicet particulares, determinant, quae proprie sunt quid*.

---

1 «Logicus enim considerat aliqua secundum quod sumuntur in ratione, et ideo considerat substantiam secundum quod per actionem intellectus subest rationi universalitatis; et ideo quantum ad praedicationem, quae actum rationis dicit, praedicatur de subiecto, idest de re extra animam. Sed Philosophus Primus considerat de rebus prout sunt vere entia; et ideo apud Philosophum non est differentia inter dici de subiecto et esse in subiecto. Ex quo patet quod ex sola actione intellectus est quod substantia praedicetur, quod habet in quantum est genus et non ex aliqua communitate reali» (*De natura generis*, cap. 7, ed. Mandonnet, t. V, p. 233).

Ex dictis patet quod considerando entitatem rerum in se, sicut Philosophus [=metaphysicus], in substantia nulla foret praedicatio unius de altero: quae tamen in substantia reperitur secundum Logicum, *secundum quem substantia quodammodo induit similitudinem inhaerentiae accidentalis, ubi est proprie dici de altero, etiam secundum Primum Philosophum*» [1].

Ex quibus *tandem* concludit substantiam dividi in primam et secundam *ut analogum in analogata*. «Cum dividitur, inquit, substantia in primam et secundam, *non est divisio generis in species* [quae est divisio univoci in univocata], cum nihil contineatur sub secunda substantia quod non sit in prima; *sed est divisio generis secundum diversos modos essendi*. Nam *secunda* substantia significat *naturam* generis *secundum se absolutam*; *prima* vero substantia significat eam *ut individualiter subsistentem*: *unde magis est divisio analogi quam generis*. Sic ergo persona [quae est individua, idest prima substantia] continetur quidem in genere substantiae, licet *non ut species, sed ut specialem modum exsistendi determinans*» [2].

Substantia ergo communiter sumpta, prout dicit rem cuius quidditati debetur esse in se et non in alio sicut in subiecto [3], non se habet ad primam et secundam ut totum universale ad partes subiectivas, sed ut totum potestativum ad partes quasi potentiales vel virtuales eius: quarum una est primaria et principalis utpote complete et perfecte habens rationem substantiae, et haec est substantia prima, quae κυριώτατά καὶ πρώτως καὶ μάλιστα dicitur substantia [4]; alia vero est secundaria utpote diminute tantum et imperfecte participans rationem substantiae, et talis est substantia secunda.

[1] *De natura generis*, cap. 9, p. 237. Cf. etiam S. Albertum Magnum, *VII Metaph.*, tract. 5, cap. 1, t. VI, p. 473b.
[2] S. Thomas, *De Pot.*, 9, 2 ad 6.
[3] *De Pot.*, 7, 3 ad 4.
[4] Aristoteles, *Categoriae*, cap. 3, n. 1 (I, 2, 39-40).

Ratio enim substantiae, per contrapositionem ad rationem accidentis, quod nominat rem cuius quidditati debetur esse in alio sicut in subiecto et non in se [1], explicatur per hoc quod substat aliis et subsistit in se, dum accidentia inhaerent aliis et non subsistunt in se. Atqui substantiae primae convenit principaliter et primo et maxime substare aliis et subsistere in se, dum substantiae secundae solum convenit secundario et diminute et dependenter a prima substare aliis et subsistere in se.

Prima namque substantia, eo ipso quod est primum subiectum inhaesionis et praedicationis, substat omnibus accidentibus et omnibus substantiis secundis, idest generibus et speciebus sui praedicamenti, et quidem per se sive propria virtute: substantia vero secunda non substat aliis substantiis secundis, sed solum accidentibus; et quidem non per se et vi sui, sed per aliud, idest per virtutem substantiae primae [2]. Quo fit, ut substantia prima ita substet omnibus ut ipsi nihil aliud substet; secunda vero substantia ita substat accidentibus ut ei simul substet substantia prima, licet non ut subiectum inhaesionis sed ut subiectum praedicationis [3], quia substantia secunda praedicatur de prima. Habet ergo diminutam et participatam cum extensive tum intensive rationem substandi, quae plene et per essentiam convenit soli substantiae primae.

Similiter, sola substantia prima per se separatim et incommunicabiliter subsistit in se, quia eius tantum qua talis est exsistere et operari per se: ex adverso, substantiae secundae non convenit qua tali per se separatim et incommunicabiliter subsistere, eo ipso quod est substantia communis et universalis, idest pluribus communicabilis; sed solum per aliud et vi alterius, scilicet per virtutem substantiae primae et ratione huius.

[1] S. Thomas, III, 77, 1 ad 2.
[2] *In VII Metaph.*, lect. 2, n. 1274; *In I Sent.*, d. 23, 1c.
[3] *In V Metaph.*, lect. 7, n. 846.

Quare S. Thomas: «*subsistere attribuitur generibus et speciebus, non quia subsistant* [ipsa vere et realiter], *sed quia individua in eorum naturis subsistunt*, etiam omnibus accidentibus remotis»[1]; «*substantia universalis non subsistit nisi nisi ratione singularis, quae per se subsistit*»[2]. Et rursus: «substantia dicitur dupliciter. Uno modo, *suppositum* in genere substantiae, quod dicitur substantia prima vel hypostasis, *cuius proprie est subsistere*. Alio modo, *quod quid est*, quod etiam dicitur *natura* rei. Secundum ergo Platonis opinionem, cum universalia essent res subsistentes, significabant substantiam non solum secundo modo, sed primo: Aristoteles vero probat in VII [libro] quod *universalia non subsistunt*. Unde sequitur quod universalia non sunt substantiae primo modo, sed secundo modo tantum. Propter quod dicitur in *Praedicamentis* [cap. 3, n. 16] quod secundae substantiae, quae sunt genera et species, non significant *hoc aliquid*, quod est substantia *subsistens*; sed significant *quale quid*, idest *naturam* quandam *in genere substantiae*»[3]. Consequenter ratio subsistendi, quae plene et per se convenit soli substantiae primae, nonnisi diminute et dependenter et per participationem a prima convenit substantiae secundae.

His adde quod substantia prima, eaque sola, est pura substantia, absque ulla participatione reali neque logica modi accidentalis sive inhaerentiae: substantia vero secunda excidit a tali puritate, eo quod logice participat modum quendam accidentalem, scilicet quasi inhaerentiam attributi vel praedicati. Unde et substantia prima significat *hoc aliquid* tantum, dum secunda substantia

---

1 *De Pot.*, 9, 1 ad 5.

2 *In V Metaph.*, lect. 10, n. 903. «Ipsa [natura vel substantia universalis] esse non habet... quia esse est solius suppositi», quod est substantia prima (*De principio individuationis*, ed. cit., t. V, p. 195). Cf. etiam *De quatuor oppositis*, cap. 4, t. V, p. 185.

3 *In X Metaph.*, lect. 3, n. 1979.

qua talis significat *quale quid*, quia quodammodo participat rationem vel modum *qualitatis*[1].

Sic ergo ipsa communis ratio substantiae inaequaliter participatur a substantia prima et a substantia secunda: ita quidem ut plene et perfecte et complete conveniat soli substantiae primae; et nonisi diminute et imperfecte et dependenter a prima, conveniat substantiae secundae. Quae autem hoc modo se habent, non conveniunt univoce, sed analogice tantum. Iure igitur substantia communiter sumpta dividitur in primam et secundam quasi in substantiam plene et perfecte et complete dictam et in substantiam diminute et imperfecte et participative acceptam, nempe ut totum potestativum in partem principalem et secundariam sive ut analogum in analogata.

Insuper *confirmatur* praedicta ratio ex eo quod substantia secunda est substantia accepta sub intentione *logica* universalitatis quam connotat, dum substantia prima est substantia sumpta sub intentione *reali* singularitatis quam connotat: et ideo substantia universalis est substantia *in statu logico* universalitatis, dum substantia individua est substantia *in statu reali* singularitatis[2]. Quo fit, ut substantia secunda se habeat ad primam ut substantia *logica* ad substantiam *realem*. Atqui substantia logica se habet ad substantiam realem ut analogatum secundarium ad analogans principale, quemadmodum se habet ens rationis ad ens reale[3]. Ergo substantia communiter sumpta dividitur in primam et secundam quasi in duos modos vel status essendi eam afficientes, scilicet modum vel statum logicum universalitatis et modum seu statum realem singularitatis, et consequenter ut analogum in analogata. Qua de causa S. Thomas iure concludit: «sic igitur quantum ad id quod *rationis* est, universalia magis sunt entia quam particularia; quantum vero

---

1 *De natura generis*, cap. 9, ed. cit., p. 237.

2 *De natura generis*, loc. cit.

3 *In IV Metaph.*, lect. 1, nn. 539-540.

ad *naturalem* [=realem] subsistentiam, particularia sunt magis entia, quae dicuntur primae et principales substantiae»[1]. Absolute tamen et simpliciter loquendo, plus habent de ratione entis substantiae primae quam substantiae secundae, sicut ens dicitur per prius de ente reali quam de ente rationis.

Quae quidem analogia est *attributionis*; quia substantia secunda, utpote affecta modo sive statu logico, dicitur talis per attributionem et respectum ad substantiam primam, utpote affectam modo sive statu reali: sicut et ens rationis dicitur tale per respectum et attributionem ad ens reale. Et hac de causa, inter ipsas substantias secundas datur ordo prioritatis et posterioritatis, secundum quod plus aut minus accedunt ad substantiam primam et principalem; puta species est magis substantia quam genus[2]: sicut et ipsorum entium rationis unum est magis ens quam aliud, puta relatio quam privatio vel negatio.

721. Cum ergo tam aperta sit S. Thomae sententia, nihil mirum si politiores thomistae in eandem consenserint. Ita Caietanus: «sumitur, inquit, substantia pro re directe exsistente in linea recta praedicamenti substantiae, non ut generis aut speciei aut individui rationem habet, sed absolute, ut scilicet haec omnia praevenit...; et hoc modo substantia sufficienter dividitur in primam et secundam, non divisione generis in species, sed divisione rei in modos eius: et est divisio analoga»[3].

Similiter Javelli ad quaestionem, «quare non prius definitur substantia quam dividatur in primam et secundam», respondet: «quoniam substantia, ut dicitur a substando, *non est quid univocum, sed analogum*. Nam substare prius convenit primae substantiae, deinde in ordine ad primam convenit secundae: neque enim homo est albus nisi quia hic vel ille homo est albus. *Omne autem analogum, cum declinet ad aequivocum, prius est dividendum quam definiendum*»[1].

[1] *In I Post.*, lect. 37, n. 8.

[2] Τῶν δὲ δευτέρων οὐσιῶν μᾶλλον οὐσία τὸ εἶδος τοῦ γένους· ἔγγιον γὰρ τῆς πρώτης οὐσίας ἐστίν (Aristoteles, *Categoriae*, cap. 3, n. 6 (I, 3, 25-26).

[3] Caietanus, *Comment. in Aristotelis Praedicamenta*, cap. 3, ed. cit., p. 85.

Et post pauca: «Aristoteles non consideravit [in Praedicamentis] substantiam nisi ut dicitur a substando, in quo sensu, ut docuimus, *non est quid univocum, sed analogum*; et quando divisit in primam et secundam, *non divisit eam ut genus generalissimum* [in species], *sed ut quid analogum in analogata*»[2].

Et alibi: «substantia... dividitur in primam et secundam, prout dicitur substantia a substando; et ut sic *est quid analogum, quoniam secunda non substat nisi per primam in qua est*»[3].

Eodem modo Dominicus de Soto: «illa divisio, ait, non est divisio generis in species (cuius meminit S. Thomas, *De Pot.*, q. 9, a. 2 ad 6), quia una species non praedicatur de alia opposita, ut album non praedicatur de nigro, et tamen secunda substantia praedicatur de prima, ut homo de Petro; sed est divisio eiusdem naturae ut substat diversis secundis intentionibus: et *est divisio analogi, secundum Aristotelem*, qui ait solam primam substantiam esse maxime substantiam, idest *simpliciter*; secundae vero sunt substantiae *secundum quid*, quia non per se subsistunt, sed sunt in individuis»[4].

Nec difficile esset multiplicare testimonia aliorum thomistarum. Quo in sensu Suarezius dicere potuit quod

[1] Ch. Javelli, *Epitome Logicae*, tract. V, II P., cap. 1, p. 53a. Lugduni 1568.

[2] *Ibid.*, p. 54b.

[3] *Quaestiones super duodecim libros Metaphysicae Aristotelis*, in lib. V, q. 17, p. 760a. Lugduni 1568.

[4] Dominicus de Soto, *Comment. in Aristotelis Dialecticam*, De Praedicamentis, q. 1, § Circa primum arg., ed. cit., p. 153a.

«*communiter* ita censetur» [1], licet ipse dissentiat [2]; ex adverso, falsus deprehenditur Joannes a S. Thoma dicens: «*communiter* tenetur quod ista divisio est *univoca*» [3].

Quae cum ita sint, libenter subscribimus Caietano Sanseverino dicenti: «*evidens* est substantiam de individuo et de speciebus generibusque non univoce neque aequivoce, sed *analogice dici*; propterea quod... notio substantiae nec invenitur in ipsis eadem ratione, uti genus in speciebus sibi subiectis, neque diversa ratione ita ut solum nomen eis commune sit, sed eo modo quo unum ad aliud ordinem habet, quia species et genera ordinem habent ad individuum, quod proprie et maxime substantia est» [4].

722. Opinatur etiam *Joannes a S. Thoma naturam univoce* dici *de materia et de forma,* univocitate saltem logica, et solum admittit inter eas analogiam physicam sive inaequalitatis. Quando enim Aristoteles affirmat formam esse magis naturam quam materia [5], hoc effatum ita intelligendum est, «non quod ly *magis* dicat analogiam, sed principalitatem et comparationem. Bene autem stat quod inter univoca unum sit principalius et perfectius altero, sicut homo leone in genere animalis. Et ita *est magis natura specifice, non generice, inaequalitate se tenente ex parte speciei, non ex parte generis participati: sed hoc analogiam* [proprie et stricte dictam] *non facit*» [6].

Qua in re Joannes secutus est Dominicum de Soto, Toletum et Plaza de Fresneda, quos citat ipse Joannes [7].

---

1 Franciscus Suarez, *Disputationes Metaphysicae*, disp. 33, sect. 2, n. 21, ed. Vives, t. 26, p. 346. Suarezio concinit Urraburu: «et ita videtur *communissima* tenere sententia» (*Ontologia*, disp. 5, cap. 1, a. 2, p. 808. Valisoleti 1891).

2 Franciscus Suarez, *Ibid.*, nn. 21-23, p.

3 Joannes a S. Thoma, *Cursus Philosophicus*, Logica, I P., q. 5, a. 3, § Solvuntur obiectiones, ad. 1, ed. cit., p. 159a.

4 Caietanus Sanseverino, *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata*, Logica, P. I., a. 10, t. I, p. 480. Neapoli 1862.

5 Aristotelis, *II Physic.*, cap. 1, n. 12 (II, 262, 9-10).

6 Joannes a S. Thoma, *Cursus Philosophicus*, Philosophia naturalis, I P., q. 9, a. 2, § De materia et forma, ed. cit., t. II, p. 180a.

7 *Ibid.*, p. 179.

Ac revera Soto a se quaerenti «utrum natura univoce dicatur de materia et forma», respondet: «non video cur non dicatur univoce.

Primo, quia hoc nomen, *pars essentialis*, univoce dicitur de materia et forma. Licet enim materia aliter sit pars quam forma, pars tamen significat unam rationem communem utriusque, abstrahendo ab hoc vel illo modo partis; et ideo utraque ponitur reductive in praedicamento substantiae.

Et confirmatur. Natura idem est quod principium. Sed principium univoce dicitur de illis; est enim principium genus ad materiam et formam...

Et tertio confirmatur: quia Aristoteles asserit formam esse magis naturam quam materia; comparatio autem non fit nisi inter ea quae conveniunt aliqua ratione communi: ergo natura dicitur univoce de illis.

Cum hoc tamen stat quod alia sit ratio specifica principii et naturae in materia et alia in forma. Est enim materia natura, quia est principium passivum et potentia unde incipit motus naturalis; et forma, quia est terminus et actus ad quem terminatur» [1].

Brevius scribit Toletus: «aliqui recte volunt naturam esse univocum materiae et formae, sicut genus...; et est magis probabilis opinio» [2].

Et Plaza de Fresneda: «natura partialis univoce dicitur de materia et forma. Ita Toletus..., Sotus...; imo et S. Thomas in hac sententia esse videtur, dum in praesenti dicit quod, ut aliquid dicatur natura, sufficit quod sit principium activum vel passivum motus.

Et probatur ratione desumpta ex definitione naturae;

---

1 Dominicus de Soto, *Super octo libros Physicorum Aristotelis Quaestiones*, in lib. II, q. 1, post secundam conclusionem, fol. 30rb-va. Salmanticae 1572.

2 F. Toletus, *Commentaria una cum Quaestionibus in octo libros Aristotelis de Physica auscultatione*, in lib. II, q. 1 ad 5, fol. 47rb. Venetiis 1578.

quia tam materia quam forma vere et proprie conveniunt in ratione naturae, scilicet in hoc quod est esse principium et causam motus et quietis, et supra illud addunt suas differentiales rationes principii activi vel passivi: ergo natura in communi vere univoce dicitur de materia et forma»[1].

Haec tamen immerito dicuntur, quia ita se habent materia et forma in ratione naturae sicut se habent potentia et actus in ratione entis: materia enim est essentialiter potentia, forma vero est essentialiter actus. Atqui potentia et actus non conveniunt univoce in ratione entis, sed analogice tantum: nam potentia et actus participant rationem entis secundum prius et posterius, et non aequaliter sicut species participant genus[2], iuxta illud S. Tho-

1 Ch. Plaza de Fresneda, *Commentaria in octo libros Aristotelis de Physica auscultatione*, in lib. II, disp. 1, q. 3, § Superest ut iam dicamus, fol. 106rb. Matriti 1604. Joannes a S. Thoma videtur immediate, dependere a Christophoro Plaza de Fresneda, a quo nedum cogitata, verum etiam plura verba mutuo accepit, ut patet conferenti textum utriusque.

Plaza	Joannes a S. Thoma
«*Opposita tamen sententia eligenda est*» (*Op. et loc. cit.*, fol. 106rb). «Respondetur ad primum argumentum desumptum ex Aristotele quod, quando dixit formam esse magis naturam quam materia, tantum voluit esse *principalius* principium motus *ex parte differentiae* contrahentis: primo, quia est principium activum; secundo, quia est nobilior pars compositi naturalis. *Cum hoc tamen stat* quod natura in communi abstrahat a materia et a forma quantum est ex parte sua, *sicut animal abstrahit ab homine et equo: et ita* natura in communi, quantum est ex parte sua, aeque dicitur de materia et de forma univoce» (*Ibid.*, fol. 106rb-va).	«*Opposita tamen sententia pluribus placet auctoribus nec nobis displicet*» (*Op. et loc. cit.*, p. 179a). «Ad secundum locum ex Physicis dicitur quod forma est magis natura, non quod ly magis dicat analogiam, sed *principalitatem* et comparationem. *Bene autem stat* quod inter univoca unum sit principalius et perfectius altero, *sicut homo leone in genere animalis. Et ita* est magis natura specifice, non generice, inaequalitate se tenente *ex parte speciei*, non ex parte generis participati: sed hoc analogiam non facit» (*Ibid.*, p. 180a).

2 S. Thomas, *In I Sent.*, prolog. a. 2 ad 2.

mae: «duplex est divisio. *Una*, qua dividitur genus *univocum* in suas species quae *ex aequo participant genus*, sicut animal in bovem et equum. *Alia* est divisio communis analogi in ea de quibus dicitur *secundum prius et posterius*: sicut ens dividitur per substantiam et accidens, et per potentiam et actum; *et in talibus ratio communis perfecte salvatur in uno, in aliis autem secundum quid et per posterius*»[1]. Ergo materia et forma non conveniunt univoce in ratione naturae, sed analogice tantum; quia non aequaliter participant rationem naturae, sed secundum prius et posterius.

Hoc aperte docuit Aristoteles, dicens formam esse magis naturam quam materia; quia forma est natura per modum actus, dum materia non est natura nisi per modum potentiae: unumquodque autem dicitur simpliciter tale secundum quod est in actu et non secundum quod est in potentia: μᾶλλον αὕτη [= μορφή] φύσις τῆς ὕλης· ἕκαστον γὰρ τότε λέγεται, ὅταν ἐντελεχείᾳ ᾖ, μᾶλλον ἢ ὅταν δυνάμει[2]. Et ideo ipsa natura, qua talis est potior secundum formam quam secundum materiam: ἡ γὰρ κατὰ τὴν μορφὴν φύσις κυριωτέρα τῆς ὑλικῆς φύσεως[3]; sicut et animal potius est natura vivens secundum animam sive formam quam secundum materiam: μᾶλλον ἡ ὕλη δι' ἐκείνην [=ψυχήν] φύσις ἐστὶν ἢ ἀνάπαλιν[4].

Quibus in verbis manifeste traditur ipsam rationem communem naturae per prius et perfectius et simpliciter salvari in forma, et nonnisi per posterius et imperfecte et secundum quid in materia.

Et ne dubium ullum de eius mente relinqueretur, docet alibi naturam dici secundum prius et posterius de substantia vel forma, et de materia, et de generatione, et de nativitate: ita quidem ut de forma vel substantia dicatur primo et principaliter, de ceteris vero nonnisi

1 *De Malo*, 7, 1 ad 1.
2 *II Physic.*, cap. 1, n. 12 (II, 262, 9-11).
3 *I de Partibus animalium*, cap. 1 (III, 220, 48-49).
4 *Ibid.* (III, 221, 36-37).

secundario et secundum diversam habitudinem ad substantiam vel formam; puta de materia, quatenus est susceptiva formae, et de generatione et nativitate prout est motus ad formam vel a forma: ἡ πρώτη φύσις καὶ κυρίως λεγομένη ἔστὶν ἡ οὐσία [= μορφή] ἡ τῶν ἐχόντων ἀρχὴν κινήσεως ἐν αὐτοῖς ᾗ αὐτά· ἡ γὰρ ὕλη τῷ ταύτης δεκτικὴ εἶναι λεγεται φύσις, καὶ αἱ γενέσεις καὶ τὸ φύεσθαι τῷ ἀπὸ ταύτης εἶναι κινήσεις [1].

Nihil ergo mirum si hoc modo intellexerint Aristotelem maiores eius expositores, quorum nonnullos exscribere placet. Simplicius adducit et approbat expositionem Syriani, iuxta quem «nomen naturae aequivoce [=analogice] praedicatur de materia et forma atque de ea quae velut productio naturalis et generatio est» [2].

Averroes notat quod definitio naturae «non dicitur univoce neque etiam aequivoce» de materia et forma et composito ex eis, «sed secundum prius et posterius» [3]; ita ut de forma dicatur «simpliciter», et de materia secundum quid tantum [4]: nam forma vel substantia est natura «essentialiter et primo», dum «materia non dicitur natura nisi quia recipit istam naturam [=formam]; et etiam motus [naturales] generationis et augmenti non dicuntur naturae nisi quia sunt viae ad istam naturam quae est forma» [5].

S. Albertus Magnus animadvertit nomen naturae dici «multipliciter» et convenire pluribus «secundum prius et posterius»; ac proin talem profert naturae definitionem «quae per prius et posterius omnibus his de quibus natura dicitur possit applicari. Haec autem non erit vere definitio, sed erit assignatio et descriptio quae maioris est manifestationis quam sit nomen: quoniam si definitio esset, oporteret quod nomen naturae his de quibus

1 *IV Metaph.*, cap. 4, n. 6 (II, 517, 45-49).
2 Simplicius, *In II Physicorum*, cap. 1.
3 Averroes, *In II Physic.*, cap. 1, n. 3, ed. cit., fol. 46r.
4 *Ibid.*, n. 10, fol. 49v.
5 *In V Metaph.*, cap. 4, n. 5, ed. cit., fol. 105r.

dicitur aeque et non per prius et posterius conveniret; et hoc non est verum» [1].

Porro natura dicitur de materia et de forma et de composito ex materia et forma. Compositum autem ex materia et forma non est proprie loquendo natura, sed «secundum naturam» sive naturale: ex adverso, tam materia quam forma dicuntur natura, et non solum naturales. Forma tamen est magis natura quam materia, et per prius nominatur natura: «quia sicut se habet res naturalis ad esse in natura sive secundum naturam, ita se habet ad naturam; magis autem est secundum naturam quando est secundum formam entelechia quam secundum quod est in potentia materiali tantum; ergo forma, quae facit compositum esse secundum naturam magis quam materia, magis et natura quam materia» [2].

Praeterea, «id quod dat naturalibus esse et naturam communicando se eis, et quod solum est necessarium ad esse ipsorum, *per se est natura*. Est autem *forma* dans naturalibus esse et naturam communicando se eis, et ipsa sola per se est necessaria ad esse ipsorum: quia, si forma possit subsistere in se sine materia, non inquireretur materia in rebus naturalibus; et ideo non per se quaeritur materia, sed propter aliud, videlicet quod forma subsistat in ipsa. Ergo *sola ipsa est natura principaliter*», dum materia non potest esse et dici natura nisi secundario et propter ordinem ad formam [3].

Accidentia autem dicuntur naturalia ratione materiae vel formae quibus attribuuntur sicut principio et radici. Quia ergo forma est per prius natura quam materia, sequitur quod «accidentia propter formam magis naturalia sunt quam accidentia propter materiam; et, si aliqua accidunt composito propter utramque, erit illud accidens

1 S. Albertus Magnus, *II Physic.*, tract. 1, cap. 3, t. III, p. 96.
2 *Ibid.*, cap. 7, pp. 104b-105a.
3 *Loc. cit.*, p. 105a.

magis naturale quod plus accedit ad formam quam id quod plus accedit ad materiam» [1].

Sic ergo «ipsa natura substantiae», secundum quod contradistinguitur a natura accidentali, est «res per se exsistens», continens «sub se materiam et formam et compositum: et *principaliter* quidem hoc modo substantia est *forma*, qua exsistit quidquid per se exsistit; et *secundo* modo dicitur *compositum*; *tertio* autem *materia*, quae non habet per se exsistere in natura nisi per formam. Et isti *modi* sunt tres, penes quos dividitur substantia. Neque oportet quod talis divisio sit per opposita, cum non sit nisi divisio analogi [sive] *explicatio modorum quibus analogum sub se continet quaedam*» [2].

«Ex dictis ergo patet quod *primo et principaliter* natura est substantia *formalis*... *Materia* namque natura dicitur, quia *huius naturae*, quae est *forma, susceptibilis*. Similiter autem *generationis sive pullulationes* et etiam *ipsa mutatio, generari* vocata, naturae dicuntur, quia sunt motus sive mutationes *ab ea vel ad eam*» [3].

Et confutans eos qui univocationem defendunt, nervose ait: «quod igitur obiicitur quod materia est substantia, et forma est substantia, et quod idem praedicatur de utroque, et quod est essentiale praedicatum [haec enim omnia revera affirmabant auctores quos retulimus]; dicendum quod omnia, quae sic obiiciuntur, *vana sunt et frivola*, signis non veridicis et logicis innixa; *quia substantia non praedicatur de materia et forma univoce, sed per prius et posterius*: et ideo *forma vere est substantia*, et *materia* est *substantia per relationem ad formam*, sicut saepe diximus; et ideo praedicatum hoc nec est essentiale neque accidentale, sed est *quidam modus eius quod ad substantiam quocumque modo refertur*; et ideo substantia non dicit *unam* naturam quae sit [aequaliter] in utroque istorum, materia videlicet et forma.

---

1 *Ibid.*, p. 106b.
2 *II de Anima*, tract. 1, cap. 1, t. V, pp. 192b-193a.
3 *V Metaph.*, tract. 1, cap. 5, t. VI, p. 277b.

Eodem modo dicimus, cum dicitur quod forma et materia sint *in genere uno*, quod sit *una* communis natura [aequaliter participata in utroque]: *hoc enim falsum est*, sicut iam patuit» [1].

Idem manifeste tradit S. Thomas. Notat enim naturam quandoque dici materiam, aliquando formam, nonnunquam nativitatem vel generationem viventium; nam «compositum ex materia et forma, ut homo, *non est ipsa natura, sed est aliquid a natura*; quia natura habet rationem *principii*, compositum autem habet rationem *principiati*» [2].

Iam vero de illis tribus non dicitur ex aequo, sed secundum prius et posterius: primo namque et principaliter dicitur de forma, dein de materia, et postremo de generatione vel nativitate. «Sicuti enim illud est ars quod competit alicui secundum artem et artificiosum, ita illud est natura quod competit alicui in quantum est secundum naturam et naturale. Sed illud quod est in potentia tantum ad hoc quod sit artificiosum, non dicimus habere aliquid artis, quia nondum habet speciem lecti. Ergo in rebus naturalibus, illud quod est potentia caro et os, non habet naturam carnis et ossis antequam accipiat formam secundum quam sumitur ratio definitiva rei, per quam scilicet scimus quid est caro vel os; nec adhuc est natura in ipso antequam habeat formam» [3]. Consequenter materia, cum sit pura potentia ad rem naturalem, non habet rationem naturae nisi per ordinem ad formam, per quam est aliquid actu natura. Nam «unumquodque magis dicitur secundum quod est in actu quam secundum quod est in potentia: unde forma, secundum quam aliquid est naturale in actu, *est magis natura quam materia*, secundum quam est aliquid naturale in potentia» [4]. Et ideo, sicut nomen entis per prius dicitur de actu quam de potentia,

---

1 *VIII Metaphy.*, tract. 2, cap. 6, p. 518.
2 S. THOMAS, *In II Physic.*, lect. 2, n. 4.
3 *Ibid.*, n. 3.
4 *Ibid.*, n. 5.

ita nomen naturae per prius dicitur de forma quam de materia. Qua de causa, *materia* dicitur prope rem tantum et aliqualiter: *prope rem* quidem, «quia est *in potentia ad rem*»; *aliqualiter* autem, quia «est *aliqualiter substantia rei*», utpote quae «*intrat in constitutionem substantiae*» [1]. *Forma* vero est per quam res est in actu, et ideo non dicitur aliqualiter, sed *simpliciter*; quia «unumquodque *simpliciter* esse dicitur secundum quod est *in actu*» [2], et «*simpliciter* dictum intelligitur de eo quod *per prius* dicitur» [3]: unde et *quoddam divinum* dicitur; «quia omnis forma est quaedam participatio similitudinis divini esse, quod est actus purus» [4]. Et ideo non solum in Metaphysica, sed «etiam in Scientia Naturali [=Physica] *non consideratur materia nisi in ordine ad formam: unde etiam forma per prius est de consideratione Naturalis quam materia*» [5].

Generatio autem sive nativitas viventium dicitur natura, quia est motus seu «via in naturam». *Non quidem in materiam*, quae est pura potentia, quia motus non est in potentiam sed in actum. *Ergo in formam* [6]. Et ideo natura dicitur per posterius de nativitate vel generatione viventium: non per ordinem ad naturam dictam de materia; sed per ordinem ad naturam dictam de *forma*, sicut ad primum et supremum analogans quod primo et simpliciter dicitur natura. Nam et «secundum hoc dicitur aliquid esse simpliciter, secundum quod est in sui complemento» [7]: «complementum autem cuiuslibet motus est in suo termino» [8]. Cum ergo forma sit terminus et com-

---

[1] *In I Physic.*, lect. 15, n. 4.
[2] *I-II*, 6, 6c.
[3] *I I Periherm.*, lect. 5, n. 19.
[4] *In I Physicorum*, lect. 15, n. 7. Cf. etiam *In III de Caelo et Mundo*, lect. 2, n. 2; *In I Periherm.*, lect. 3, n. 8; *I Sent.*, d. 8, 5, 2 ad 5; *III Contra Gent.*, cap. 97.
[5] *In librum Boetii de Trinitate*, 5, 2 ad 2.
[6] «Id autem in quod tendit nativitas est forma: forma igitur est natura» (*In II Physic.*, lect. 2, n. 7).
[7] *De Verit.*, 1, 5 obi. 12.
[8] *De Verit.*, 1, 2c.

plementum motus naturalis generationis, ipsi formae convenit esse natura simpliciter et per prius, motui autem generationis vel nativitatis nonnisi secundum quid et per posterius, secundum habitudinem scilicet vel respectum ad formam.

Quam analogiam nominis *natura* magis explicite proponit in suis *Commentariis super Metaphysicam Aristotelis*, ubi cum Stagirita «*primo distinguit diversos modos* quibus natura dicitur», tum «principales» cum «adiunctos»; «*secundo, reducit omnes ad unum primum*» [1]. Quae methodus procedendi est propria analogorum [2]. Reductio autem diversorum modorum ad unum primum, secundum prius et posterius, «fieri potest dupliciter: uno modo, secundum ordinem *rerum*; alio modo, secundum ordinem qui attenditur quantum ad *nominis impositionem*» [3]: analogia tamen proprie intelligitur de ordine rerum sive rationum significatarum per nomen, non de ordine impositionis nominis.

Et sic, attendendo «rerum ordinem, *formae prius competit ratio naturae, quia... nihil dicitur habere naturam nisi secundum quod habet formam.* Unde... *primo et proprie* natura dicitur substantia, idest *forma* rerum habentium in se principium motus in quantum huiusmodi. *Materia* enim dicitur esse natura [per posterius, scilicet] *quia est formae susceptibilis.* Et *generationes* habent nomen natura [adhuc magis secundario et per posterius, nempe] *quia sunt motus procedentes a forma, et iterum ad formas*» [4].

Praesertim vero hanc analogiam expressis verbis tradidit, cum ait: «subiectum, quod est prima substantia particularis, in tria dividitur, scilicet in materiam et forma et compositum ex eis. *Quae quidem divisio non est*

---

[1] *In V Metaph.*, lect. 5, n. 808.
[2] Cf. *In IV Metaph.*, lect. 1, nn. 535-546; *In X Metaph.*, lect. 1, nn. 1920-1921; *II Contra Gent.*, cap. 61, arg. 1.
[3] *In V Metaph.*, lect. 5, n. 824.
[4] *Ibid.*, nn. 824-826.

generis in species, sed alicuius analogice praedicati, quod de eis, quae sub eo continentur, per prius et posterius praedicatur: tam enim compositum quam materia et forma, particularis substantia dicitur, *sed non eodem ordine*», idest non ex aequo, sicut genus praedicatur de speciebus [1]; quandoquidem «*tam forma quam compositum est magis substantia quam materia*...

Materia enim est ens in potentia, et species [=forma] est actus eius: actus autem naturaliter prior est potentia... Unde patet quod forma est *prior* quam materia, et etiam est *magis ens* quam ipsa; quia *propter quod unumquodque tale, et illud magis*. Materia autem non fit ens actu nisi *per formam. Unde oportet quod forma sit magis ens quam materia*.

Et ex hoc ulterius sequitur quod, *eadem ratione, forma sit prior composito ex utrisque*, in quantum est *in composito aliquid de materia, et ita participat aliquid de eo quod est posterius secundum naturam, scilicet de materia*» [2].

Ergo «materia *aliter* dicitur substantia [vel natura], et *aliter* forma, et *aliter* compositum. *Materia* enim dicitur substantia, non quasi ens aliquid actu exsistens in se considerata; sed quasi *in potentia* ut sit aliquid actu, haec dicitur esse hoc aliquid. *Forma* vero, quae et *ratio* nominatur, quia ex ipsa sumitur ratio speciei, dicitur substantia quasi ens aliquid *actu*: *et quasi ens separabile secundum rationem a materia*, licet non secundum rem. *Compositum* vero ex his dicitur esse substantia *quasi separabile simpliciter*, idest separatim per se exsistere potens in rerum natura, et eius solius est generatio et corruptio: neque enim forma neque materia generatur aut corrumpitur nisi per accidens.

Et licet compositum sit separabile simpliciter, tamen, secundum rationem, aliorum quae dicuntur substantiae,

---

1 *In VII Metaph.*, lect. 2, n. 1276.
2 *Ibid.*, nn. 1278-1279. Cf. etiam nn. 1291-1296.

quaedam sunt *separabilia*, et quaedam *non*: *forma enim est separabilis ratione, quia potest intelligi sine materia sensibili individuante; materia autem non potest intelligi sine intellectu formae, cum non apprehendatur nisi ut ens in potentia ad formam*» [1], nec est intelligibilis nisi *per analogiam ad formam* [2] cum non dicatur ens et unum nisi *in quantum in potentia ad formam* [3]. Et propter hoc, ipse «motus rerum naturalium [ex quo earum naturam cognoscimus] [4] *magis causatur ex forma quam ex materia*» [5].

Idemque sentiunt posterioribus temporibus Ferrariensis [6], B. Pereira [7], Conimbricenses [8] ac praesertim Silverter Maurus [9].

273. Haec omnia ita evincunt materiam et formam analogice tantum convenire, et quidem analogia attributionis materiae ad formam, tum in ratione naturae, tum in ratione substantiae, tum denique in ratione entis, ut opposita sententia Dominici de Soto, Toleti, Plaza de

---

1 *In VII1 Metaph.*, lect. 1, n. 1687.
2 *In I Physic.*, lect. 13, n. 9; *In VII Metaph.*, lect. 2, n. 1296.
3 *In In Physic.*, lect. 13, n. 9.
4 *In V Metaph.*, lect. 5, n. 824.
5 *Ibid.*, n. 819.
6 Francisci Silvestri Ferrariensis, O.P., *Quaestiones luculentissimae in octo libros Physicorum Aristotelis*, lib. II, q. 1, p. 83b. Venetiis 1619.
7 Benedicti Pererii, S.J., *De communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus libri quindecim*, lib. 7, cap. 17, p. 284b. Venetiis 1591.
8 Collegii Conimbricensis, S.J., *Comment. super octo libros Physicorum Aristotelis*, lib. II, q. 1, a. 2, pp. 177b-178a. Venetiis 1616.
9 «*Primo* quidem explicat [Aristoteles] septem modos quibus dicitur natura...; *secundo*, reducit alios modos quibus dicitur natura ad unum primum, *qui est principale analogatum*» (*Aristotelis Opera omnia quae exstant brevi paraphrasi et litterae perpetuo inhaerente expositione illustrata a* Silvestro Mauro, S. J.: in V Metaph., cap. 4, t. IV, p. 359a. Parisiis 1886). «Distinctis modis quibus dicitur natura, Aristoteles *reducit illos ad unitatem analogicam, assignando tanquam principale analogatum unum quod primo est natura, attendendo ordinem rerum*», et hoc est forma totius substantiae naturalis (*ibid.*, n. 8, pp. 360-361).

Fresneda, Joannis a S. Thomae et quorumdam aliorum, ut Aversa [1], Rubio [2] et Arnu [3], omni careat probabilitate.

Rationes enim quibus nititur Soto et a ceteris auctoribus eiusdem sententiae repetuntur, saltem quoad sensum, aut sunt pura petitio principii, aut non sunt ad propositum sed ad oppositum [4].

Verum quidem est materiam et formam convenire in ratione partis essentialis substantiae naturalis sive corporeae, sed falsum est omnino eas abstrahere a modo quo sunt tales partes: non enim materia potest abstrahere a seipsa, neque iterum forma; modus autem, quo materia et forma concurrunt ad constituendam substantiam corpoream, non est aliud quid ab ipsa materia et ab ipsa forma. Materia namque concurrit ut est, videlicet materialiter, per modum partis materialis, per modum purae potentiae, quia haec est propria ratio materiae; forma similiter concurrit ut est, nimirum formaliter, per modum partis formalis, per modum actus primi substantialis, quia talis est propria ratio formae. Iam vero pura potentia substantialis et actus primus substantialis non conveniunt univoce in ratione substantiae neque in ratione entis, neque ideo in ratione partis substantialis vel entitativae.

Verum est etiam naturam nominare principium motus naturalis: at est penitus falsum dicere illud esse

---

1 Rafael Aversa, Ord. Cler. Reg. Minorum, *Philosophia Metaphysicam Physicamque complectens Quaestionibus contexta*, t. I, q. 9, sect. 4, pp. 252-253. Romae 1625.

2 Antonius Rubio, S.J., *Commentarii in octo libros Aristotelis de Physico Auditu seu Auscultatione, una cum dubiis et quaestionibus hac tempestate agitari solitis*, lib. II, cap. 1, q. 2, pp. 209-210. Lugduni 1611.

3 Nicolaus Arnu, O.P., *Dilucidum Philosophiae syntagma e D. Thomae Aquinatis, B. Alberti Magni et optimorum quorumque philosophorum effatis ac dogmatibus concinnatum variaque eruditione locupletatum*, t. III, *octo libros Physicorum complectens*, lib. II, q. 1, a. 2, septima concl. et resp. ad 5 arg., nn. 18-20 et 51-52, pp. 330, 334-335. Patavii 1685.

4 Videsis *supra*, rationes huiusmodi, numero praecedente.

univocum ad materiam et formam. Ratio namque principii *communiter sumpti* est analoga: quae quidem analogia adeo perspicua et indubia est, ut proponatur a peripateticis veluti exemplum classicum analogiae [1]. Et similiter si *restringatur* ad materiam et formam. Hae siquidem sunt principia intrinseca substantiae corporeae eo modo eaque ratione quibus sunt partes essentiales eius, nempe *ut sunt*: et ideo sicut non possunt abstrahere a seipsis, ita neque a modo principiandi. Materia ergo est principium materialiter, per modum materiae, per modum purae potentiae passivae seu receptivae: forma autem est principium formaliter, per modum formae, per modum actus primi substantialis. Pura autem potentia substantialis et actus primus substantialis non conveniunt univoce, sed analogice, in ratione essendi, ideoque nec in ratione principiandi; quia praecise sunt per se primo principia essendi substantiae corporeae.

Verum est denique effatum aristotelicum importare comparationem materiae et formae in participanda ratione naturae. Inde tamen immerito concluditur eas univoce convenire, quia comparatio fieri potest etiam inter analoga, ut patet ex supra dictis [2].

Neque hoc est reducere materiam ad conditionem metaphorae vel purae denominationis extrinsecae, quasi materia diceretur natura mere metaphorice aut pure denominative, ut timere videtur Rubio [3]: tum quia analogia metaphorica est proportionalitatis, non attributionis, sicut est analogia materiae et formae, quidquid in contrarium opinentur Conimbricenses [4]; tum quia si diceretur analogia proportionalitatis, ut praedicti auctores exsistimantur, haec non esset metaphorica, sed propria;

---

1 Cf. *supra*, nn. 570-584.

2 Cf. *supra*, nn. 108, 131 et passim.

3 Antonius Rubio, *Op. et loc. cit.*, p. 210.

4 «Est vero natura analogum secundum proportionem; quia ut se habet materia ad motum cuius principium et causa est, ita proportione quadam forma» (Conimbricenses, *Op. et loc. cit.*, p. 187a).

nam sicut forma est vere et proprie principium activum motus naturalis substantiae cuius est, ita materia est vere et proprie principium passivum eiusdem motus naturalis: tum denique quia non omnis analogia attributionis est per solam denominationem extrinsecam, sed datur etiam analogia attributionis realis et intrinsecae [1], prout revera contingit in casu praesenti; nam materia prima vere et intrinsece est ens et natura et substantia, licet imperfecte et secundario, nempe ut pura potentia receptiva formae vel actus substantialis quem respicit et ad quem ordinatur ut ad finem et complementum [2].

Et omnino falsus est Rubio, qui mordicus tenens «materiam vere et proprie, intrinsece et *formaliter* (!), et ideo *univoce* (!) esse naturam cum forma; licet forma, propter specialem eius rationem longe perfectiorem, longe etiam perfectior natura sit», statim subiungit: «ita sentiunt antiqui interpretes, Porphyrius, Averroes, Philoponus, Themistius atque Simplicius et D. Thomas in commentario huius capitis, et cum eis omnes fere moderni expositores; et haec est expressa sententia Aristotelis, et vera» [3]. Tot fere errata quot verba!

724. Exsistimat quoque Dominicus de Soto quod «*causa univoce dicitur* de quatuor generibus [causarum], uti natura de materia et forma» [4].

Rubio similiter ait: «ego vero univocam esse teneo [divisionem causae in quatuor genera], et ideo generis in suas species [subalternas]; quia abstrahibilis est ab omnibus ratio communis in qua omnes videntur convenire absque ulla attributione. Quod vero una sit perfectior altera, ex parte rationum particularium videtur se tenere, quae cum non includantur in ratione commu-

---

[1] Cf. *supra*, n. 672.

[2] «Materia, secundum quod est in potentia [ordinatur ad formam]; nam forma est finis materiae» (S. Thomas, *In I Physic.*, lect. 15, n. 10).

[3] Antonius Rubio, *Op. et loc. cit.*, p. 209.

[4] Dominicus de Soto, *In II Physic.*, q. 3, obi. 2 et resp., ed. cit., fol. 35vb; fol. 36a.

ni, non tollunt univocationem nec faciunt analogiam» [1]. Videlicet, admittit analogiam inaequalitatis tantum, quae simul stat cum univocitate logica.

Idem sentit Aversa, iuxta quem hae quatuor causae conveniunt univoce «ex parte *rationis formalis* causae»; licet materialiter, idest «ex parte rerum quae participant rationem et denominationem causae», et quasi entitative sive ex parte entis quod causalitatem exercet, analogice tantum conveniant: eo quod diversae causae possunt pertinere ad diversa entis praedicamenta, immo et «non entia possunt exercere aliquam causalitatem» ut accidit in causa finali [2].

Hisque adhaeret Joannes a S. Thoma, «quia in generibus istis causarum invenitur propria ratio causae non participative nec dependenter ab alia in participando rationem causae, licet in exercendo causalitatem una ab altera dependere possit, quia causae ad invicem sunt causae. Ad constituendam autem analogiam non sufficit dependentia et inaequalitas in ipso exercitio in particulari, sed in participanda ratione communi. At vero quod materia, verbi gratia, habeat vim recipiendi, quod est esse causam materialem, non participat a forma vel ab efficiente, licet ab utroque dependeat exercitium exsistendi vel recipiendi» [3].

Consentit etiam Froylanus Díaz, ex eo quod «ratio causae simpliciter participatur ab omnibus» praedictis causis, et ideo «quaelibet est causa simpliciter». Nam «quaelibet causa independenter ab alia habet suam rationem causae»: siquidem «materia independenter a forma a seipsa habet recipere formam, et forma a seipsa

---

[1] Antonius Rubio, *In II Physic.*, tract. I, n. 61, ed. cit., p. 238.

[2] Rafael Aversa, *Op. cit.*, t. I, q. 11, sect. 3, p. 314b.

[3] Joannes a S. Thoma, *Cursus philosophicus*, *Philosophia naturalis*, I P., q. 10, a. 2, ed. cit., t. II, p. 202a. Cf. *ibid.*, ad 2 arg. pp. 203-204.

habet actuare materiam, et finis a seipso habet movere, et causa efficiens a seipsa habet efficienter producere»[1].

Accedit Nicolaus Arnu: «si sumatur, inquit, causa formaliter et secundum quod dicit rationem causandi et influendi in effectum, haec divisio est univoca: non autem si sumatur materialiter et ex parte rerum in quibus exercetur ipsum causare, aut ut dicit modum causandi»[2].

Praesertim vero hanc sententiam suadere conatur Joannes Martínez de Prado. Primo quidem, quia «videtur omnino ad mentem Philosophi» et S. Thomae. Enumeratis enim quatuor hisce causis in *V Metaph.*, cap. 2, concludit: «cauase igitur hae sunt, et tot *species*». Ubi S. Thomas adnotat, lectione 3: «concludit igitur Philosophus quod praedictae sunt causae, et quod *causae secundum tot species distinguuntur*». Quod et repetit ibidem in lectione 2; et in *II Physicorum*, lect. 5, et 6. *Divisio autem generis in species est univoca*; et ideo hanc divisionem appellat S. Thomas in *V Metaph.*, lect. 3, *divisionem per differentias essentiales, species constituentes.*

Deinde suppetit ratio duplex. In primis, quia «definitio causae et essentialia ipsius requisita proprie et intrinsece omnibus quatuor praedictis competunt, et inter se essentialiter differunt in ratione causandi... Ergo est divisio univoca. Consequentia patet ex D. Thoma in *I Sent.*, d. 22, q. 1, a. 3 ad 2, dicente quod *univocum dividitur per differentias, sed analogum secundum modos diversos*: ipse autem in *V Metaph.*, lect. 3, docet quod *haec divisio est per differentias*, licet aliae causarum divisiones sint per modos.

Secundo, quia omnes istae causae in munere causandi immediate participant rationem causae, nec una in

---

[1] Froylanus Diaz, *Philosophia Naturalis per quaestiones et articulos divisa iuxta mentem D. Thomae*, lib. II, q. 2, a. unic., & 3, p. 238b. Vallisoleti 1698.

[2] Nicolaus Arnu, *Op. cit.*, *II Physic.*, q. 2, a. 2, n. 12, ed. cit., t. III, p. 380.

ratione ista ab alia dependet: quia forma, ut sit actus, non habet a materia; nec vim recipiendi habet materia a forma: et sic de aliis. Ergo ratio causae non dicitur de illis per prius et posterius; ac proinde non est analoga, sed univoca»[1].

725. Verumtamen haec omnia solido carent fundamento, et contraria sententia de analogia causae qua talis ad quatuor eius genera omnino retinenda est.

Eam procul dubio tradidit Aristoteles, uti apparet sedulo consideranti doctrinam eius de causis. Primo namque frequenter enumerat quatuor causas per se: τὰ αἴτια διῄρηται τετραχῶς[2]; τὰ δ' αἴτια λεγεται τετραχῶς, ὧν μίαν μὲν αἰτίαν φαμὲν εἶναι τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἦν εἶναι..., ἑτέραν δὲ τὴ ὕλην καὶ τὸ ὑποκείμενον, τρίτην δὲ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, τετάρτην δὲ τὴν ἀντικειμένην αἰτίαν ταύτῃ, τό οὗ ἕνεκα καὶ τἀγαθόν· τέλος γὰρ γενέσεως καὶ κινήσεως πασης τοῦτ' ἐστίν[3].

Quod et repetit alio in loco, dicens: ὑπόκειται γὰρ αἰτίαι τέτταρες, τὸ θ' οὗ ἕνεκα ὡς τέλος, καὶ ὁ λόγος τῆς οὐσιας..., τρίτον δὲ καὶ τέταρτον ἡ ὕλη καὶ ὅθεν ἡ ἀρχὴ κινήσεως[4]; αἰτίαι δὲ τέτταρες, μία μὲν τὸ τὶ ἦν εἶναι μία δὲ τὸ τίνων ὄντων ἀνάγκη τοῦτ' εἶναι, ἑτέρα δὲ ἥ τί πρῶτον ἐκίνησε, τετάρτη δὲ τὸ τίνος ἕνεκα[5].

Secundo, nonunquam asserit eas distingui ut modos, εἰς τέτταρας τρόπους[6]; quod et adverbialiter exprimit per *quadrifariam vel quadrupliciter*, τὰ αἴτια διῄρεται τετραχῶς[7], τὰ δ' αἴτια λέγεται τετραχῶς[8]; eosque per modos

---

[1] Joannes Martinez de Prado, *Controversiae Metaphysicales Sacrae Theologiae ministrae*, t. I, II P., controv. 1, a. 3, nn. 58-59, pp. 292b-293a. Compluti 1649.

[2] Aristoteles, *III Physic.*, cap. 7, n. 6 (II, 284, 12).

[3] *I Metaph.*, cap. 3, n. 1 (II, 471, 44-51).

[4] *I de Animalium Generatione*, cap. 1 (III, 319, 4-8).

[5] *II Post. Analytic.*, cap. 10, n. 1 (I, 161, 20-22). Cf. etiam *II Physic.*, cap. 7, nn. 1-3 (II, 269, 25-34); *IV Metaph.*, cap. 2, nn. 1-4 (II, 515, 1-19).

[6] *II Physic.*, cap. 3, n. 5 (II, 264, 40-42); *IV Metaph.*, cap. 2, n. 6 (II, 515, 32-33); *De Somno et Vigilia*, cap. 2 (III, 503, 3).

[7] *III Physic.*, cap. 7, n. 6 (II, 284, 12).

[8] *I Metaph.*, cap. 3, n. 1 (II, 471, 44-45).

singillatim nominat: αἴτιον λέγεται ἕνα μὲν τρόπον ἐξ οὗ γίγνεταί τι ἐνυπάρχοντος... ἄλλον δὲ τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα... ἔπι ὅθεν ἡ αρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρώτη ἤ τῆς ἠμεμνήσεως... ἔτι ὡς τὸ τέλος, τοῦτο δ' ἐστὶ οὗ ἕνεκα [1]: aliquando ut species, κατ' εἶδος [2], ita ut distingui secundum species opponatur distinctioni secundum modos, τὰ μὲν οὖν αἴτια τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα ἐστι τῷ εἴδει· τρόποι δὲ τῶν αἰτίων ἀριθμῷ μὲν εἰσι πολλοί; nam et unius causae eiusdem speciei possunt esse plures modi, λέγεται γὰρ αἴτια πολλαχῶς καὶ αὔτων τῶν ὁμοειδῶν [3]: quandoque ut genere, ἢ γὰρ ἕτερον τι γένος εὑρήσομεν αἰτίας, ἢ ταῖς νῦν λεγομέναις μᾶλλον πιστεύσομεν [4]: interdum per simplicem enumerationem, absque ulla ulteriori determinatione, μία μὲν..., μία δὲ..., ἑτέρα..., τετάρτη δε... [5].

Quo ex modo loquendi apparet Philosophum hoc unum intendere, nimirum has quatuor causas esse *essentialiter differentes*; et non mere accidentaliter, sicut sunt distinctiones causarum in proximam et remotam et alias huiusmodi quae afficere possunt unam eandemque ex illis quatuor. An vero quatuor illae differant specie tantum, vel genere, vel analogia, ex his verbis Aristotelis non habetur: ac proin fundamento caret insistentia Joannis Martínez de Prado volentis trahere Aristotelis verba ad unam differentiam specificam, quasi esset divisio generis in species. Nec enim infrequens est apud Philosophum promiscue sumere genus et speciem, ut videre est, exempli gratia, in divisione qualitatis, ubi membra in quae dividitur quandoque nominat species, aliquando genera: ἓν μὲν οὖν εἶδος ποιότητος..., ἕτερον δὲ γένος ποιό

---

[1] *IV Metaph.*, cap. 2, nn. 1-3 (II, 515, 1-12). Cf. *II Physic.*, cap. 3, nn. 2-3 (II, 264, 9-22).

[2] *I Metaph.*, cap. 2, n. 1 (II, 486, 38); n. 13 (488, 2-4).

[3] *II Physic.*, cap. 3, n. 6 (II, 265, 1-6); *IV Metaph.*, cap. 2, n. 8 (II, 515, 45-49).

[4] *I Metaph.*, cap. 3, n. 2 (II, 472, 5-6).

[5] *II Post. Analytic.*, cap. 10, n. 1 (161, 20-22). Cf. etiam *I de Animalium Generatione*, cap. 1 (III, 319, 4-8).

τητος..., τρίτον δὲ γένος ποιότητος..., τέταρτον δὲ γένος ποιότητος [1].

Attamen, tertio, nomen causae analogice dici de quatuor causis, idque Aristotelem docuisse, constat ex tribus, scilicet tum ex eo quod ait nomen causae dici *multipliciter*, idest pluribus modis, *et non uno eodemque modo* de illis quatuor, πολλαχῶς..., ἀλλ' οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον [2]; ἐπεὶ πλεοναχῶς τὰ αἴτια λέγεται..., οἷον ἀνθρώπου τίς αἰτία ὡς ὕλη..., τί δ' ὡς κινοῦν..., τί δ' ὡς τὸ εἶδος..., τί δ' ὡς οὗ ἕνεκα... [3]; ἐπεὶ δὲ τρόποι πλείους της αἰτίας, καὶ γὰρ τὸ τίνος ἕνεκα καὶ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, καὶ τὴν ὕλην, καὶ τον λόγον αἴτιον εἶναί φαμεν [4]: quo modo loquendi designat analoga, ut ens [5] et unum [6] et bonum [7], quae πολλαχῶς vel πλεοναχῶς aut κατὰ πλείους τρόπους dicuntur et non μοναχῶς vel ἁπλῶς ut univoca [8]: -tum etiam ex his quibus assimilat vel potius aequiparat nomen causae, nimirum principio [9], naturae [10] et *secundum quod*, τὸ καθ' ὅ [11]; quae omnia πολλαχῶς sive analogice dicuntur de suis quasi inferioribus, secundum ipsum Aristotelem, ut videre est locis modo citatis et aliis; tum denique, quia nomen causae dicitur de aliis tribus, scilicet efficienti, formali et materiali, per ordinem ad unam primam quae est

---

[1] *Categoriae*, cap. 6, nn. 3, 7, 8, 14 (I, 13, 9, 37-38; 14, 2; 15, 7-8).

[2] *II Physic.*, cap. 3, n. 4 (II, 264, 28, 31-32); *IV Metaph.*, cap. 2, n. 4 (II, 515, 19, 22-23).

[3] *VII Metaph.*, cap. 4, n. 4 (II, 561, 44-48).

[4] *De Somno et Vigilia*, cap. 2 (III, 503, 3-5).

[5] *I Physic*,. cap. 2, n. 8 (II, 249, 30); cap. 3, n. 4 (II, 251, 5); *I de Anima*, cap. 11, n. 7 (III, 441, 51); *III Metaph.*, cap. 2, n. 1 (II, 500, 14); *V Metaph.*, cap. 4, n. 3 (II, 537, 44); *VI Metaph.*, cap. 1, n. 1 (II, 538, 1).

[6] *IV Metaph.*, cap. 10, n. 4 (II, 522, 48-49):

[7] *I Ethic. Nicom.*, cap. 6, nn. 11-13 (II, 5, 7-19); n. 3 (II, 4, 23-24):

[8] *I Physic.*, cap. 3, n. 4 (II, 251, 4); *X Metaph.*, cap. 8, n. 1 (II, 593, 15-16).

[9] Nam, iuxta Aristotelem, ita se habet principium ad causam sicut se habet ens ad unum; quia nempe sunt idem re, et sola ratione differunt (*III Metaph.*, cap. 2, n. 5 (II, 500, 41-49); *IV Metaph.*, cap. 1, n. 3 (II, 514, 41-42).

[10] *IV Metaph.*, cap. 4 (II, 517, 7-50).

[11] *IV Metaph.*, cap. 18, n. 3 (II, 528, 34):

causa finalis[1], ob idque eam quasi antonomastice appellat τὴν αἰτίαν[2].

Et inde sane intelligitur cur Aristoteles nomen causae pertractet more analogorum, videlicet primo distinguens diversos eius sensus vel modos simulque explicans proprium modum sensumve uniuscuiusque, ac dein illos comparans inter se eosque ordinans ad unum primum et principalem: quin immo, ipsamet varietas nominum indicantium diversitatem quatuor causarum quasi totidem modos vel species vel genera causae, innuit satis eum analogice sumere talia nomina; quia, ut commentatores graeci adnotarunt, analoga nonnisi per nomina analogice sumpta describi possunt[3].

726. Idem magis explicite docuerunt antiqui eius discipuli, ut Simplicius, Averroes, S. Albertus Magnus et S. Thomas.

Verba Simplicii omnino explicita retulimus supra[4]. Averroes autem exponit sententiam Aristotelis tum in II Physicorum, tum in V Metaphysicorum. Priori in loco animadvertit omnes modos et differentias causarum reduci ad quatuor principales et famosiores, qui sunt causa materialis, causa formalis, causa efficiens et causa finalis[5]. Et quidem, more Aristotelis, quatuor has causas nominat aliquando modos causae universaliter consideratae[6], interdum genera[7], nonnunquam species[8]. Sed notat insuper eas non esse causas quasi ex aequo, sed ordine quodam prioris et posterioris, ita ut prima et

---

[1] *II Physic.*, cap. 3, n. 5 (II, 264, 40-52; 265, 1); cap. 7, nn. 3-7 (II, 269, 35-52); (270, 1-9).
[2] *XI Metaph.*, cap. 3, n. 11 (II, 614, 63-54).
[3] Cf. *supra*, nn. 570-584.
[4] Cf. *supra*, n. 722.
[5] Averroes, *In II Physic.*, cap. 3, nn. 28-29, ed. cit., fol. 56v-57r; *In V Metaph.*, cap. 2, ed. cit., fol. 99, 100v-101.
[6] *In II Physic.*, cap. 3, n. 28, fol. 56v; n. 30, fol. 57v.
[7] *In II Physic.*, cap. 3, n. 31, fol. 58r; n. 32, fol. 58v; cap. 7, n. 68, fol. 70r; *In V Metaph.*, cap. 2, fol. 99v; fol. 100v.
[8] *In II Physic.*, cap. 3, n. 33, fol. 59r.

maxima omnium sit causa finalis, nec aliae rationem sortiantur causae nisi per ordinem ad illam primam[1]. Nomen ergo causae dictum de illis quatuor generibus est nomen *multiplex*, ideoque non univocum[2]; neque tamen pure aequivocum, eo ipso quod dicitur de uno principaliter et primo, de aliis autem per ordinem ad illud primum; consequenter est nomen analogum.

Quam ob rem locat illud inter nomina quae «dicuntur secundum relationem ad unum quid diversis modis»[3], idest inter nomina analoga, ut principium, causa, elementum, natura, necessarium et alia id genus; omnia enim haec dicuntur diversimode de diversis per ordinem ad unum et principale cui primo et per se convenit ratio significata per nomen.

Eodem modo S. Albertus Magnus docet esse analoga, non solum ens et unum, sed etiam «nomina principiorum entis», ut sunt potentia et actus, et a fortiori ipsum nomen principii et nomen causae et ea quae ad causam qua talem consequuntur, ut natura vel naturale et necessarium[4]. Nomen siquidem principii dicitur analogice de principiis intrinsecis et de principiis extrinsecis rei: sunt autem principia intrinseca materia et forma vel potentia et actus, quae rursus analogice conveniunt inter se in ratione principiandi; extrinseca vero sunt efficiens et finis, quae similiter analogantur in ratione principii. Cum ergo quatuor genera causarum revera sint huiusmodi principia intrinseca et extrinseca entis, manifeste consequitur nomen causae esse analogum ad praedicta quatuor genera[5].

Quod vel ex eo etiam patet, quia non dicuntur causae eodem modo eodemque ordine, sed secundum prius et

---

[1] *In II Physic.*, cap. 8, n. 81, fol. 76r; *In V Metaph.*, cap. 1, fol. 98v.
[2] *In II Physic.*, cap. 3, n. 28, fol. 56v.
[3] *In V Metaph.*, cap. 1, fol. 97v.
[4] S. Albertus Magnus, *V Metaph.*, tract. 1, cap. 1, ed. cit., t. 6, pp. 261, 263-264; cap. 2, pp. 264-268; cap. 5, pp. 275-277; cap. 6, pp. 278-281.
[5] *V Metaph.*, tract. 1, cap. 1, pp. 362-364; cap. 3, pp. 368-369; *II Physic.*, tract. 2, cap. 5, t. III, p. 128a.

posterius sub diversis considerationibus. «Est autem, inquit, *ordo* in istis causis *diversus*. Hic enim enumeratae sunt *secundum quod sunt propinquiores rei causatae ,quae est effectus*: hoc enim causatur per motum cuius subiectum materia est, et actu complens est forma; et haec sunt duo intrinseca causato: principium autem movens, a quo motus fluit in mobile, efficiens; et terminus motus est finis.

Si considerentur *secundum intentionem causarum*, tunc prima est illa quae est causa causarum, quae est finis, quia haec movet efficientem; et propter hoc efficiens, eo quod forma conveniat cum efficiente, ideo tertia [causa] forma est: et ultima est materia, quae plus distat ab efficiente et fine.

Si autem causae attendantur *secundum esse*, tunc prima causarum est efficiens, et secunda est materia quae movetur ab ipso, et tertia est forma quae producitur actu efficientis, in qua per consequens consequitur intentionem suam, et ideo ultima est finis.

Si vero attendatur ratio illa quae est *ratio movendi*, cum omne quod movet, a forma habeat rationem movendi, prima erit forma, et secunda efficiens, et tertia finis, et ultima materia» [1].

Absolute tamen loquendo, finis est prima causarum et veluti supremum analogatum; quia ei primo et per se convenit ratio causandi, ceteris autem per ordinem ad ipsum et dependenter ab ipso [2].

Ceterum eas indifferenter appellat, sicut Aristoteles et Averroes, genera [3], species [4] et modos substantiales

---

[1] *II Physic.*, tract. 2, cap. 5, p. 128a. Cf. etiam *V Metaph.*, tract. 1, cap. 3, t. 6, p. 271b.

[2] *II Physic.*, tract. 2, cap. 6, pp. 129-130.

[3] *II Physic.*, tract. 2, cap. 22, p. 158b; *I Metaph.*, tract. 4, cap. 14, p. 86a.

[4] *II Physic.*, tract. 2, cap. 3, p. 124a; cap. 7, p. 130a, 131b; *V Metaphy.*, tract. 1, cap. 2, p. 266a.

vel essentiales [1], per contrapositionem ad modos accidentales in quos subdividi potest unumquodque genus, praesertim causae efficientis [2].

727. Sed potissimum S. Thomas analogiam notionis causae, prout de illis quatuor generibus causarum dicitur, aperte tradidit, tum in suis *Commentariis* super Aristotelem, tum etiam in propriis operibus.

Equidem inter exponendum Aristotelem sese attemperat modo loquendi Philosophi; ac proin quatuor causas nominat indistincte genera [3], species [4] et modos essentiales [5], ut eos contradistinguat a modis accidentalibus in quos unumquodque genus subdividi potest [6]. Quo fit, ut genus, species et modus essentialis sumantur a S. Doctore, sicut ab Aristotele, Averroe et S. Alberto Magno, ad significandam essentialem differentiam harum causarum, cuiuscumque gradus illa sit, scilicet mere specifica, vel etiam generica, immo et analoga.

Quod autem sit analoga suadere videntur ipsa verba S. Thomae, ubi ait talem distinctionem sumi «penes *diversas rationes* causandi» [7]; quia materia et forma dicuntur causae secundum aliam et aliam rationem [8], et similiter alia est ratio causae efficientis et alia ratio cau-

---

[1] *II Physic.*, tract. 2, cap. 7, p. 131b; *V Metaph.*, tract. 1, cap. 2, p. 265b.

[2] *II Physic.*, tract. 2, cap. 8, p. 131b; 132a; *V Metaph.*, tract. 1, cap. 2, p. 266a.

[3] S. Thomas, *In II Physic.*, lect. 11, n. 7; *In I Meteorologicorum*, lect. 1, n. 3; *In I Metaph.*, lect. 11, nn. 171-172, 180; *In II Metaph.*, lect. 3, n. 307; *In III Metaph.*, lect. 2, n. 346; Lect. 4, nn. 369-370; *In V Metaph.*, lect. 2, n. 770, 773; lect. 3, n. 780; *In II Post.*, lect. 9, n. 2.

[4] *In II Physic.*, lect. 5, nn. 2, 7, 8, 11; lect. 6, n. 1; lect. 7, n. 1; *In II Metaph.*, lect. 4, n. 330; *In V Metaph.*, lect. 2, nn. 763, 772; lect. 3, nn. 782-784.

[5] *In II Physic.*, lect. 5, nn. 3-6, 8; *In III Metaph.*, lect. 4, n. 377; *In V Metaph.*, lect. 2, nn. 763-765; 771-773; lect. 3, n. 777.

[6] *In II Physic.*, lect. 5, n. 2; lect. 6. nn. 1-2; *In V Metaph.*, lect. 2, n. 763; lect. 3, nn. 783-794.

[7] *In V Metaph.*, lect. 3, n. 783.

[8] *In II Physic.*, lect. 5, nn. 8-9.

sae finalis[1]. Ubi autem est alia et alia ratio significata per nomen commune, dum tamen in aliquo conveniant, ibi adest vera analogia[2]. Id quod accidit in praesenti. Nam omnes illae quatuor causae conveniunt in nomine communi causae, quod significat *rationem communem causandi*. Quae tamen communis ratio non est univoca ad illas quatuor, eo ipso quod non est una eademque ratio causae in illis, sed *diversa*, licet non omnino. Et ideo S. Doctor non dixit causam proprie dividi in quatuor illas ut genus in species per differentias essentiales, sed signanter scripsit: «est *quasi divisio* per differentias essentiales species constitutentes»[3]; quia essentialiter differunt, licet non sint species stricte dictae. Nimirum causa qua talis *multipliciter* dicitur[4], sicut alia nomina analoga.

Nec desunt explicita testimonia. Introducit enim considerationem de causis in quantum huiusmodi, quae ad Metaphysicam proprie spectat[5], hisce verbis: «hic

---

1 *Ibid.*, nn. 10-11.
2 Cf. *supra*, n. 135 et passim.
3 *In V Metaph.*, lect. 3, n. 783.
4 «Cum causae *dicantur multipliciter*, contingit unius et eiusdem
esse multas causas per se et non per accidens: sicut causa statuae est
ars statuifica ut efficiens, et aes ut materia. Et inde est quod aliquando
unius rei assignantur plures definitiones secundum diversas causas,
sed perfecta definitio omnes causas complectitur» (*In II Physic.*, lect.
6, n. 7).

Et alio in loco: «quia causa *multis modis dicitur*, contingit multas
causas esse unius rei non secundum accidens, sed secundum se. Quod
enim secundum accidens multae sint causae unius rei, hoc difficile
non videbatur; quia rei quae est causa per se alicuius effectus, multa
possunt accidere, quae omnia illius effectus possunt etiam causa per
accidens dici: sed quod causae per se sint multae unius, hoc fit ma-
nifestum ex hoc quod causae *multipliciter dicuntur*. Statuae enim cau-
sa *per se* et non per accidens est *factor* statuae et *aes, sed non eodem
modo: hoc enim est impossibile quod eiusdem secundum idem genus
sint multae causae per se eodem ordine*: licet possint esse plures cau-
sae hoc modo, quod una sit proxima, alia remota: vel ita quod neu-
trum sit causa sufficiens, sed utrumque coniunctim, sicut patet in
multis qui trahunt navim. Sed in proposito *diversis modis* [=diversis
rationibus causandi] ista duo sunt causa statuae: *aes* quidem *ut ma-
teria, artifex* vero *ut efficiens*» (*In V Metaph.*, lect. 2, nn. 773).

5 «Considerare de causis in quantum huiusmodi proprium est Phi-
losophi Primi; nam causa in eo quod causa est non dependet a ma-

incipit [Aristoteles] determinare *de rebus quas scientia ista* [=Metaphysica] *considerat*. Et quia *ea quae in hac scientia considerantur* sunt omnibus communia, *nec dicuntur univoce, sed secundum prius et posterius* [=analogice] *de diversis*, ut in IV libro est habitum [lect. 1, nn. 534-546], *ideo prius distinguit intentiones nominum* quae in huius scientiae consideratione cadunt, *secundo* incipit determinare *de rebus* quae sub consideratione huius scientiae cadunt, in VI libro...

Cuiuslibet autem scientiae est considerare subiectum et passiones et causas; et ideo hic V liber dividitur in *tres* partes: *primo determinat distinctiones nominum quae significant causas*; *secundo*, illorum nominum quae significant *subiectum* huius scientiae *vel partes* eius...; *tertio*, nominum quae significant *passiones* entis in quantum est ens...

Prima [pars subdividitur] in duas: *primo*, distinguit nomina significantia *causas*; *secundo*, quoddam nomen significans quoddam quod *consequitur* ad causam, scilicet *necessarium*: nam causa est *ad quam de necessitate sequitur* aliud».

Et quidem distinguit nomina, tum *generaliter* significantia causam, ut *principium, causam et elementum*; tum «nomen quod significat quandam causam *in speciali*, scilicet hoc nomen *naturam*»[1].

Nomen ergo causae qua talis est eiusdem indolis ac nomina significantia subiectum Metaphysicae et partes eius, ut ens, unum, substantia, accidens; vel passiones sive proprietates ipsius, ut idem et diversum, aequale et inaequale, simile et dissimile, potentia et actus, prius et posterius. Constat autem nomina significantia subiectum Metaphysicae vel partes et passiones eius esse analoga[2].

---

teria secundum esse, eo quod in his etiam quae a materia sunt separata invenitur ratio causae» (*In II Physic.*, lect. 5, n. 1).
1 *In V Metaph.*, lect. 1, n. 749.
2 *In V Metaph.*, lect. 7-22, per totum.

Igitur et nomen causae qua talis. Ideo concludit S. Thomas: «postquam Philosophus in IV huius ostendit quod haec scientia considerat de ente et de uno et de his quae consequuntur ad ens in quantum huius modi, *et quod omnia ista dicuntur multipliciter, et in V huius eorum multiplicitatem distinxit*, hic incipit de ente determinare et de aliis quae consequuntur ad ens» [1].

Quae conclusio urgetur amplius ex eo quod sive universaliora, ut principium; sive minus universalia, ut elementum et natura; sive aeque universalia, utpote per se consequentia rationem causae, sicut necessarium, sunt nomina evidenter analoga apud S. Thomam [2]. Ergo et nomen causae inter praedicta nomina positum et cum eis comparatum, debet esse analogum.

Adde insuper ita dividi necessarium in absolutum et conditionatum sicut dividitur enuntiatio in categoricam et hypotheticam. Sed divisio enuntiationis in absolutam et hypotheticam est analoga, iuxta S. Thomam [3]: necessarium autem, iuxta eundem S. Thomam, dividitur in absolutum et conditionatum sive hypotheticum [4]. Haec ergo est divisio analoga, et consequenter divisio causae ex qua sequitur, nempe divisio causae in intrinsecam et extrinsecam [5].

Rursus, divisio causae intrinsecae in materialem et formalem est analoga, quia est sicut divisio substantiae corporeae in materiam et formam, vel sicut divisio substantiae creatae in potentiam et actum quae analoga est: nam causa materialis est ipsa materia vel potentia, causa vero formalis est ipsa forma vel actus [6].

Item, divisio causae extrinsecae in efficientem et finalem. Primo quidem, quia ita se habent inter se ipsa causalitas causae efficientis et ipsa causalitas causae finalis, sicut se habent inter se conditio sine qua non causalitatis efficientis et conditio sine qua non causae finalitatis efficientis et conditio sine qua non causae finalis: nam conditio sine qua non causandi se habet sicut ultima dispositio causae vel sicut proprietas quasi formalis eius, et ideo essentialiter et necessario proportionatur suae causae. Tales autem conditiones sine quibus non analogice tantum conveniunt, quia conditio causalitatis efficientis est ens reale, scilicet applicatio vel approximatio causae ad materiam transmutandam; dum conditio causalitatis finis est ens in ratione, idest in apprehensione vel intentione operantis, et non in ipsa re extra animam [1]. Ens autem reale et ens intentionale non conveniunt univoce, sed analogice.

1 *In VI Metaph.*, lect. 1, n. 1144.
2 *In V Metaph.*, lect. 1-6, per totum.
3 Cf. *supra*, n. 717.
4 *In II Physic.*, lect. 15, n. 2; n. 4, in fine; *In V Metaph.*, lect. 6, nn. 832-834.
5 *Ibid.*
6 Cf. *supra*, n. 722.

Deinde, quia ipsa causalitas causae efficientis dependet a causa finali et non e converso; et ideo fini per prius convenit ratio causae, efficienti autem nonnisi per ordinem ad illum. «Efficiens quidem est causa finis quantum ad *esse* quidem, quia movendo perducit ad hoc quod *sit* finis: finis autem est causa efficientis non quantum ad esse, sed *quantum ad rationem causalitatis*. Nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi causa finis: unde *ex fine habet suam causalitatem efficiens*» [2].

Et sic quasi inductive apparet analogia causae.

Immo et aliae tres causae dicuntur et sunt tales per ordinem ad causam finalem quasi ad primam causarum. «Licet *finis* sit ultimus in *esse* in quibusdam, *in causalitate tamen est prior semper*: unde dicitur *causa causarum, quia est causa causalitatis in omnibus causis*. Est

1 Cf. J. M. Ramirez, *De hominis beatitudine*, t. I, nn. 289-352.
2 S. Thomas, *In V Metaph.*, lect. 2, n. 775. Idipsum docuerat Avicenna: «*finis est causa propter quam efficiens habet esse efficiens; ergo ipse est ei causa ut ille sit causa*: et efficiens non est causa finis ut finis sit causa» (*Sufficientia*, lib. I, cap. 11. Opera, ed. Venetiis 1508, fol. 19vb).

enim *causa causalitatis efficientis*, ut iam dictum est: *efficiens* autem est *causa causalitatis et materiae et formae*, nam facit per suum motum materiam esse susceptivam formae et formam inesse materiae; *et per consequens etiam finis est causa causalitatis et materiae et formae*» [1]. Causa ergo finalis est supremum analogatum in ratione causae; aliae vero tres, ordine quodam prioris et posterioris, sunt secundaria analogata.

In propriis etiam Operibus eandem doctrinam defendit. Ad modum enim loquendi quod attinet, quandoque nominat quatuor causas absque ulla ulteriori determinatione [2], saepissime tamen appellat genera [3]: sive pro eodem sumat aliquando genus et modum [4], sive genus a modis contradistinguat [5].

Quoad rem vero indubium est eum analogiam notionis causae tradidisse, uti apparet *primo* quidem ex eo quod dici secundum prius et posterius, idest analogice, fundamentum habet in notione causae: «*omnis prioritas* secundum ordinem naturae aliquo modo *reducitur ad ordinem causae et causati*, quia principium et causa sunt idem» [6]. Iam vero propter quod unumquodque tale, et

---

1 S. Thomas, *In V Metaph.*, lect. 3, n. 782. Cf. etiam *In II Physic.*, lect. 5, n. 11; *In I Meteorologicorum*, lect. 2, n. 4; *In I Post.*, lect. 16, n. 5; *In II Post.*, lect. 7, n. 2; lect. 8, n. 3; *In II de Anima*, lect. 9, n. 347.

Similia tradiderat Algazel: «*proprietas autem causae finalis est ut propter eam ceterae fiant causae*. Nisi enim proposita fuerit in animo fabri forma scanni, quae est aptitudo sedendi, propter necessitatem sedendi, faber non erit agens, nec ligna erunt causa materialis lecti, nec forma veniet in ea. *Causa igitur finalis ubicumque fuerit inter omnes causas, causa causarum erit*» (*Metaphysica*, I P., tract. 1, divisio, 5, ed. cit., pp. 37-38).

2 S. Thomas, *In I Sent.*, d. 1, expositio textus; d. 29, 1c; *De Pot.*, 3, 16c; *III Contra Gent.*, cap. 10, arg. 4.

3 *De principiis naturae*, ed. Mandonnet, t. I, p. 13; *IV Sent.*, d. 17, 1, 3, qla. 3c; *De Verit.*, 28, 7c; *III Contra Gent.*, cap. 17, arg. 3; I-II, 72, 3c; 75, 4c; II-II, 27, 3c.

4 *In II Sent.*, d. 36, 1c.

5 *De principiis naturae*, ed. cit., t. I, p. 15.

6 *IV Sent.*, d. 17, 1, 3, qla. 3c.

illud magis. Notio ergo causae non solum analoga est, verum etiam radix et fundamentum analogiae.

Secundo, quia alia tria genera causarum dependent in ipsa ratione causalitatis a causa finali, quae est causa causarum sive causa per antonomasim, quasi supremum analogatum causae. «Illud est prius simpliciter dicendum ordine naturae quod est prius secundum genus illius causae quae est *prior in ratione causalitatis*: sicut *finis*, qui dicitur *causa causarum, quia a causa finali omnes aliae causae recipiunt quod sint causae*; quia efficiens non agit nisi propter finem, et ex actione efficientis forma perficit materiam et materia sustinet formam» [1].

Et alibi: «*finis est causa causalitatis efficientis, quia facit efficiens esse efficiens; et similiter facit materiam esse materiam, et formam esse formam*, cum materia non suscipiat formam nisi propter finem et forma non perficiat materiam nisi propter finem. Unde dicitur quod *finis est causa causarum, quia est causa causalitatis in omnibus causis*» [2].

Etenim «*finis inter alias causas primatum obtinet, et ab ipso omnes aliae causae habent quod sint causae in actu*. Agens enim non agit nisi propter finem...; ex agente autem materia in actum formae reducitur: unde materia fit actu huius rei materia, et similiter forma huius rei forma, per actionem agentis, et per consequens per finem» [3].

Sic ergo «cum sint causarum quatuor genera, *materia non est principium actionis*, sed se habet ut subiectum recipiens actionis effectum; *finis vero et agens et forma se habent ut actionis principium, sed ordine quodam*.

Nam *primo* quidem principium actionis est *finis*, qui

---

1 *De Verit.*, 28, 7c. Cf. *ibid.* ad 17; *I Sent.*, d. 8, 1, 3c.

2 *De principiis naturae*, ed. cit., t. I, p. 14.

3 *III Contra Gent.*, cap. 17, arg. ult. Cf. etiam *II Contra Gent.*, cap. 40, arg. 2.

movet agentem; *secundo* vero, *agens*; *tertio* autem *forma* eius quod ab agente applicatur ad agendum, quamvis et ipsum agens per formam suam agat»[1]. Hic vero ordo prioris et posterioris est proprius analogiae, in quo differt ab univocatione; nam species in quas genus dividitur divisione univoca sunt simul[2].

Tertio, quasi a posteriori, ex eo quod *necessarium* sequitur causam et *multipliciter*, idest analogice, dicitur. Est enim necessarium absolute et necessarium ex conditione: absolute et intrinsece, ex causis intrinsecis, nempe ex causa materiali et formali; conditionate et extrinsece, ex causis extrinsecis, scilicet ex causa efficienti et finali[3]. Nemo autem dicet necessarium absolutum et intrinsecum esse eiusdem omnino rationis ac necessarium conditionatum et extrinsecum: sicut etiam nemo audebit asserere necessitatem ex causa formali esse eiusdem rationis ac necessitas ex causa materiali, puta adeo necessarium esse hominem esse mortalem sicut necessarium est eum esse rationalem; aut necessitatem coactionis, quae est necessitas ex causa efficienti, esse eiusdem rationis ac necessitas ex causa finali, quae utilitas vel necessitas medii quandoque audit.

Si ergo necessarium, quod sequela est causae, dicitur analogice de istis quatuor generibus vel modis necessitatis, a fortiori ipsa causa dici debet analogice de quatuor generibus vel modis causalitatis.

728. Et post tantos auctores, in idem consentiunt

---

1 I, 105, 5c. Cf. etiam, I, 5, 2 ad 1; 4c; I-II, 1, 2c.

2 I-II, 113, 6 ad 3. Ceterum analogiam inter causam formalem et materialem nitide expressit hisce verbis: «dicitur proportio habitudo ordinis, sicut dicimus esse proportionem inter materiam et formam, quia materia se habet in ordine ut perficiatur per formam, et hoc secundum proportionalitatem quandam; quia sicut forma potest dare esse, ita materia potest recipere idem esse» (*III Sent.*, d. 1, 1 ad 3, n. 19).

3 *I Sent.*, d. 6, 1c; I, 82, 1c.

saeculo XVI Chrysostomus Javelli[1] et Didacus Mas[2] ex Ord. Praed.; ex Soc. Jesu autem Toletus[3], B. Pereira[4], Fonseca[5] et Suárez[6]. Toletus tamen, Pereira et Fonseca rationem sui asserti non dederunt[7]; Suarezius vero geminam rationem dedit, scilicet omnes illas causas posse concurrere ad productionem substantiarum et accidentium, cum tamen nihil commune univocum sit utrisque[8]; et nonnullas, ut efficientem et finalem, esse communes Deo et creaturis, nec tamen quidquam potest esse utrique univocum[9].

---

1 Chrysostomus Javelli, *Epitome Metaphysices*, V Metaph., tract. 1, cap. 1: «*omnes termini hic distinguendi* sunt de natura *analogorum*, de quorum ratione est ut inter omnes modos detur unus principalis ad quem omnes alii habent attributionem vel cuius respectu suscipiunt praedicationem *analogi*» (ed. cit., p. 394a). Sunt autem quinque termini de quibus agit per totidem capita, scilicet principium, *causa*, elementum, natura et *necessarium*.

2 Didacus Mas, *Commentaria in universam Philosophiam* [=*Physicam*] *Aristotelis una cum Quaestionibus quae e gravissimis philosophis agitantur*, in lib. II, cap. 3, q. 3, assert. 2-3, pp. 529-530. Valentiae 1599.

3 Toletus, *Commentaria una cum Quaestionibus in octo libros Aristotelis de Physica auscultatione*, lib. II, cap. 3, q. 7: «quid causa sit, Aristoteles non docuit, contentus definitionibus singulorum generum; sic enim facit in his communibus, praesertim cum in ipsis *analogia* quaedam est» (fol. 58v. Venetiis 1578).

4 B. Pereira, *De communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus libri XV*, lib. VIII, cap. 1: «Aristoteles ubi agit de causis nusquam tradidit generalem definitionem causae, fortasse quia, *cum causa non dicatur univoce*, difficile fuit eiusmodi definitionem conficere» (p. 291. Venetiis 1591).

5 Fonseca, *Commentaria in libros Metaphysicorum Aristotelis*, lib. I, cap. 7, sect. 3: «proximum est ut disquiramus quid sit causa, si tamen facile id explicari potest, *cum causae nomen sit analogum*, ut philosophis placet, nec una omnino ratione definiri queat» (t. I, p. 235. Lugduni 1597).

6 Suarez, *Disputationes Metaphysicae*, disp. 12, Sect. 3, n. 22, ed. Vives, t. 25, p. 395; disp. 27, Sect. 1, nn. 9-11, p. 952.

7 Quod patet ex eorum verbis paulo supra relatis, ad eosque alludere videtur Suarezius cum dixit: «auctores omnes, supponendo potius quam probando vel disputanto, docent illam divisionem causae esse analogam, et propter eam causam dicunt non fuisse causam in communi ab Aristotele definitam; non tamen declarant satis modum aut rationem huius analogiae» (*Op. cit.*, disp. 12, sect. 3, n. 22, p. 395).

8 *Ibid.*

9 *Op. cit.*, disp. 27, sect. 1, n. 9, p. 952.

Sed multo magis propriam rationem attulit Mas. «Causa, inquit, est a qua per se pendet effectus: at effectus non dependet univoce vel eadem ratione ab his quatuor generibus; ergo ratio causae non erit eis univoca.

Demonstremus *Minorem*. Effectus pendet a fine et ab efficiente dependentia quadam extrinseca; a forma vero et a materia, intrinseca. Praetera, a materia pendet tanquam a pura potentia, a forma vero tanquam ab actu. Quae profecto dependentiae non sunt univocae neque unius atque eiusdem rationis, sed alterius multumque diversae. Ergo effectus non pendebit una et eadem ratione ab his quatuor generibus.

Quemadmodum igitur ratio principi non effertur univoce de materia, forma et privatione, ut diximus lib. I, cap. 9, in disputatione de principiis sect. 1, q. 5 [p. 369]; neque ratio naturae de materia et de forma, ut docuimus cap. 1 huius libri, q. 9 [pp. 496-497]: ita profitendum erit de ratione causae, ipsam non univoce de his quatuor generibus praedicari», sed analogice [1].

«Quod si quis roget quo genere analogiae de his efferatur, num secundum attributionem vel proportionem aut secundum proportionalitatem, respondetur utroque modo dici.

In primis secundum proportionalitatem, quippe quam proportionem tenet efficiens ad esse effectus eandem tenet forma ad idem esse: etenim quemadmodum esse pendet ab efficiente sicuti a causa extrinseca producente, ita pendet a forma sicuti a causa intrinseca componente; nam quae ratio est extrinseci ad extrinsecum, eadem intrinseci ad intrinsecum esse debet. Idemque est de materia et de fine iudicium.

Praeterea dicitur secundum attributionem: quia huiusmodi ratio dicitur de suis inferioribus secundum prius

[1] Didacus Mas, *Op. et loc. cit.*, p. 530a.

et posterius... Quod autem ratio causae per prius et posterius de his quatuor generibus dicatur, constat; quia causae sumi possunt quatuor modis: secundum effectum, secundum institutum operantis, secundum esse et secundum modum agendi... In omnibus autem his modis semper illa prius dicitur de una quam de alia caussa: ut, si sumamus ipsas secundum institutum operantis, prius dicitur de fine qui movet agentem ad operandum, deinde de agente quod ex desiderio illius materiam praeparat ut in eam suae naturae similem formam introducat, tertio de forma et quarto de materia. Idemque iudicium est in aliis tribus modis» [1].

Haec ergo doctrina de analogia causae necessario sequitur ex doctrina supra tradita de analogia materiae et formae in ratione naturae vel substantiae [2]. Causa enim formalis et causa materialis idem sunt ac materia et forma. Si ergo materia et forma non dicuntur univoce natura vel substantia vel ens, sed analogice, eodem iure non dicuntur univoce causa, sed analogice: quia sunt causa proprio suo esse, non actione distincta sicut causa efficiens et finalis. Porro, sicut se habet materia ad formam ita se habet agens ad finem: hae enim quatuor causae sibi invicem proportionantur binae et binae, scilicet formalis et materialis ex una parte, efficiens et finalis ex alia [3]. Consequenter causa efficiens et causa finalis analogice tantum dicuntur causa, non univoce.

Argumenta vero quibus nitebantur auctores oppositae sententiae iam pridem fuerant praeoccupata ab antiquis, specialiter a S. Thoma. Ita ruit distinctio Joannis a S. Thoma de dependentia unius causae ab alia quoad exercitium suae causalitatis, non quoad ipsam rationem causalitatis: nam, ut patet ex textibus citatis S. Thomae, una causa pendet ab alia et omnes a fine quoad ipsam

[1] *Ibid.*, p. 530b.
[2] Cf. *supra*, n. 722.
[3] S. Thomas, *In V Metaph.*, lect. 2, n. 775.

causalitatem, idest quoad ipsam rationem causandi, et non solum quoad merum exercitium causandi.

Et idem dic de rationibus Joannis Martínez de Prado. Fundantur enim in iuxtapositione materiali quorundam textuum ad sensum alienum et minime conformem sensui germano S. Doctoris. Alia vero quae addit reducuntur ad argumentum Joannis a S. Thomae iam solutum.

Quae tandem proferunt auctores minores, ex hucusque dictis facile dissipantur.

CAPUT II

DE PROPRIA INDOLE ANALOGIAE ATTRIBUTIONIS

Art. 1.- Origo denominationis

729. Quae Aristoteles eiusque graeci commentatores appellant ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, S. Thomas vocat cum similia, convenientia vel analoga secundum simplicem rationem sive proportionem [1], tum analoga per attributionem, idest secundum attributionem [2]; post Caietanum vero nominari consueverunt analoga proportionis, ac praesertim analoga attributionis [3].

---

[1] S. Thomas, *De Verit.*, 2, 11c.

[2] *De Principiis naturae*, prope finem, ed. Mandonnet, t. I, p. 17; *De Pot.*, 3, 5c.

[1] Caietanus, *De nominum analogia*, cap. 1, n. 3, ed. cit., p. 4. Non quod ipse Caietanus primus hanc formulam invexerit, sed quia celebriorem reddidit suo opusculo *De nominum analogia*. Multo enim antea eam adhibuit Joannes Dullaert sive de Janduno in suis *Quaestionibus super Metaphysicam Aristotelis*: «proportio, inquit, non est aliud nisi eadem habitudo aliquorum ad aliqua; et si est analogia proportionis [=proportionalitatis], tunc diversorum habitudo ad diversa secundum similitudinem; sed si est *analogia attributionis*, tunc est habitudo diversorum ad unum» (*In XII Metaph.*, q. 5, col. 650. Venetiis 1560). Idem fere dixerat B. Jacobus Capocci de Viterbo, *O.E.S.A.* († 1308): *communi-*

Quae quidem denominatio ex Averroe in S. Thomam manasse videtur, prout cernere est in textibus sequentibus:

AVERROES

«Nomen ens dicitur multis modis: et non aequivoce, sicut canis qui dicitur de latrabili et marino; neque univoce, ut animal de homine et asino; sed est de nominibus quae dicuntur de rebus *attributis* eidem, et sunt media inter univoca et aequivoca... Et ista quae *attribuuntur* eidem, non *attribuuntur* eodem modo, sed modis diversis: et quaedam *attribuuntur* eodem modo, sed diversificantur secundum magis et minus, sicut hoc nomen substantia quae dicitur de formis et de individuo; et quia sana *attribuuntur* sanitati modis diversis, sicut novem praedicamenta *attribuuntur* ad es-

S. THOMAS

«Ens autem non est genus, quia non praedicatur univoce, sed analogice.

Et ad huius intelligentiam sciendum est quod tripliciter aliquid praedicatur de pluribus, scilicet univoce, aequivoce et analogice.

Univoce quidem praedicatur aliquid secundum idem nomen et secundum eandem rationem, idest definitionem, sicut animal

---

tas attributionis, communitas cuiusdam *ordinis et attributionis* (*Quaestiones disputatae de Praedicamentis in divinis,* apud D. Gutierrez, O.E.S.A., *De B. Jacobi Viterbiensis vita, operibus et doctrina theologica,* pp. 88, 89. Romae 1939). Revera tantundem valet «proportionis» et «attributionis». Consueverunt enim membra alicuius divisionis genitivis distingui, ut cum amorem distinguimus in amorem amicitiae et in amorem concupiscentiae (S. Thomas, I-II, 26, 4); ignorantiam, in ignorantiam simplicis iuris et ignorantiam facti (*II Sent.*, d. 22, 2, 2c), vel ignorantiam simplicis negationis et ignorantiam pravae dispositionis (*In II de Anima,* lect. 11, n. 363; *De Malo,* 3, 7c); baptismum, in baptismum fluminis, baptismum flaminis et baptismum sanguinis (III, 66, 11-12). Et hoc modo distinguimus etiam analogiam in analogiam inaequalitatis, analogiam attributionis et analogiam proportionalitatis.

Ceterum praepositio *per, secundum,* designat habitudinem causae, etiam formalis (*In I Post.*, lect. 10, nn. 2-4; *Quodlib., IX,* 13c). Genitivi autem construi solent in habitudine causae formalis, ut cum tres personae Trinitatis dicuntur esse unius essentiae (*I Sent.*, d. 34, 1, 2c et ad 4; I, 39, 2c et ad 5), «quia essentia se habet ad personam per modum causae formalis» (*I Sent.*, d. 25, exp. textus). Et hic genitivus attributionis vel proportionalitatis significat diversum modum vel formam secundum quam fit analogia, sicut et praepositio *per*: idem ergo dictu est analogia *per attributionem* et analogia *attributionis,* nempe analogia quae attributione fit vel quae modum induit attributionis.

se, quia sunt in vero ente quod est substantia modis diversis, incoepit [Aristoteles] notificare diversitatem modorum qui inveniuntur in talibus nominibus ad demonstrandum quod ita est de hoc nomine ens, cum substantia et cum aliis praedicamentis... Quaedam enim dicuntur sana, quia *attribuuntur* sanitati hoc modo, scilicet quia conservant sanitatem, sicut dicimus quod exercitium est sanum quia conservat sanitatem; et quaedam *attribuuntur* sanitati quia faciunt eam, sicut dicimus potio accepta est sana; et similiter dicimus sanum signum quod nuntiat sanitatem, sicut dicimus de creticis laudabilibus; et similiter dicimus sanum illud quod cito recipit sanitatem, sicut corpus mundum ab humoribus.

Et cum adduxit ea quae *attribuuntur* uni fini, induxit exemplum etiam de rebus quae *attribuuntur* uni agenti... Similiter omne adiuvans actionem medicinae *attribuitur* medicinae. Et intendebat per hoc declarare quod *attributa* ei, aut *attribuuntur* eidem fini, aut eidem agenti, aut eidem subiecto, sicut novem praedicamenta substantiae...

Quoddam enim dicitur medicum, quia acquirit artem medicinae, verbi gratia homo medicus; et quoddam, quia convenit actioni medicinae, verbi gratia diaeta; et quoddam, quia facit actionem medicinae licet non sit medicus: vetula enim quae medicabat cum illa herba sicut dicitur, agebat actionem medicalem, licet non erat medica...

Et similiter hoc nomen ens, licet

praedicatur de homine et asino; utrumque enim dicitur animal, et uterque est substantia animata sensibilis, quod est definitio animalis.

Aequivoce praedicatur quod praedicatur de aliquibus secundum idem nomen et secundum diversam rationem: sicut canis dicitur de latrabili et de sidere caelesti, qui conveniunt in nomine et non in definitione neque significatione; id enim quod significatur per nomen est definitio, sicut dicitur IV Metaph.

Analogice dicitur praedicari quod praedicatur de pluribus quorum rationes et definitiones sunt diversae, sed *attribuuntur* uni alicui eidem: sicut sanum dicitur de corpore animalis et de urina et potione, sed non ex toto idem significat in omnibus tribus; dicitur enim de urina ut de signo sanitatis, de corpore ut de subiecto, de potione ut de causa, sed tamen omnes istae rationes *attribuuntur* uni fini, scilicet sanitati.

dicatur multis modis, tamen in omnibus dicitur ens, quia *attribuitur* primo enti, scilicet substantiae, et istae *attributiones* in unoquoque eorum sunt diversae. Praedicta enim *attribuuntur* substantiae, non quia est agens aut finis eorum, sed quia constituuntur per illam et subiectum est eorum, et universaliter non dicuntur entia nisi quia sunt dispositiones entis, et multi homines negant ea esse; albedo enim non est, sed album...

Quemadmodum igitur scientia una considerat de rebus *attributis* sanitati, scilicet Medicina, ita una scientia debet considerare de omnibus *attributis* enti... Et manifestum est quod vera scientia in talibus rebus quae dicuntur per *attributionem*, est scientia primi quod est in illo genere, per cuius continuationem cum aliis *attribuuntur* illa alia ei et a suo nomine denominantur»[1].

«Manifestum est quod hoc nomen «ens» non est aequivocum quia de eo non esset in una scientia consideratio, neque etiam praedicatur univoce sicut animal de homine praedicatur et equo, et tamen hoc nomen «ens» praedicatur de multis ut manifestum est ex inductione, quia primo praedicatur de substantia, secundo de accidente: quare erit analogicum, idest *per attributionem*, sicut sanum quod modis diversis sanitati *attribuitur*, quoniam quoddam dicitur sanum quia est

Aliquando enim ea quae conveniunt secundum analogiam et proportionem et comparationem *atrribuuntur* uni *fini*, sicut patuit in praedicto exemplo sanitatis; aliquando uni *agenti*, sicut medicus dicitur de eo qui operatur sine arte, ut vetula, et etiam de instrumentis, sed *per attributionem* ad genus quod est medicina; aliquando, autem *per attributionem* ad unum *subiectum*, ut ens dicitur de substantia, quantitate, qualitate et aliis praedicamentis: non enim ex toto est eadem ratio qua substantia est ens, et qualitas, et omnia alia; sed omnia dicuntur ens ex eo quod *attribuuntur* substantiae, quae est aliorum subiectum: et ideo ens dicitur per prius de substantia et per posterius de aliis; et ideo ens non est genus substantiae et aliorum praedicamentorum, quia nullum genus praedicatur

[1] AVERROES, *Paraphrasis in IV Metaph.*, cap. 1, n. 2, Opera, t. VIII, fol. 90r-91r. Venetiis 1560.

necessarium ad sanitatem conservandam ut exercitium, aliud vero dicitur sanum quia facit consequi sanitatem ut cibus et potus, et quoddam etiam dicitur sanum quia sanitatem significat ut urina laudabilis in colore, in substantia ut in contento, in die cretico ut in nuntio sanitatis, et sanum etiam dicimus corpus mundum a malis humoribus quia est sanitatis receptivum, quae finis est cui praedicta *attribuuntur*: quoniam omnia *attributa*, aut uni et eidem fini *attribuuntur* ut de sano diximus sanitatem conservante, aut uni et eidem agenti ut medicus qui non solum dicitur medicus quia scientiam medicinae acquirit ut homo medicus sed de omni re quae actioni medici et medicinae adiuvat et convenit, aut uni et eidem subiecto ut quantitas et qualitas et reliqua accidentis praedicamenta quae uni substantiae *attribuuntur* per se. Cum igitur secundum hos modos diversos «ens» in eo quod «ens» de multis praedicatur, nec omnes primo et per se de substantia praedicantur, ideo primo hoc nomen «ens» in eo quod «ens» et per se substantiae *attribuitur*, non quia sit eorum finis aut agens sed quia per eam constituuntur ac ipsorum subiectum est, quia non dicuntur entia sed dispositiones sunt entis, et multi homines negabant novem praedicamenta esse, asserentes non dari albedinem sed album, et sic de aliis accidentibus.

secundum prius et posterius de suis speciebus, sed ens praedicatur analogice»[1].

[1] S. THOMAS, *De principiis naturae*, circa finem, ed. cit., t. I, pp. 17-18.

Modus autem secundum quem novem praedicamenta substantiae *attribuuntur* est quoniam substantia est ens per se exsistens, et aliud est ens quia est passio substantiae, et aliud est ens quia est motus ad substantiam, motus enim dicitur ens quia est via ad verum ens, relatio quoque dicitur ens quia est respectus entis, privatio quoque dicitur ens quia est entis privatio, et similiter virtus et forma dicuntur entia per modum consimilitudinis quia faciunt substantiam, elementa quoque hoc modo dicuntur entia quia sunt elementa substantiae, dicitur etiam ens id quod in sustantia exsistit et hoc universale est ceteris praedicamentis, negatio quoque et affirmatio dicitur ens, et similiter hoc nomen «ens» dicitur de primis et secundis intentionibus ac de omnibus rebus Logice spectantibus.

Cum ergo omnes hi modi sint diversi, apparet quod «ens» dicatur multis modis *per attributionem* et quod consideratio istorum modorum est unius scientiae. Et *probatur*, quoniam si reperitur una scientia, et est Medicina, quae considerat de omnibus rebus sanitati *attributis*, ita quoque debet reperiri una scientia quae considerat de omnibus *attributis* enti: quoniam res quae pertinent ad unam scientiam non tantum sunt quarum subiectum est tantum unum genere aut specie quae dicuntur univoce, sed quarum esse *attribuitur* uni fini aut uni agenti aut uni subiecto, idest

«Oportet enim, si aliquid unum communiter in pluribus invenitur, quod ab aliqua una causa in illis causetur; non enim potest esse quod illud commune utrique ex seipso conveniat, cum utrumque, secundum quod ipsum est, ab altero distinguatur, et diversitas causarum diversos effectus producit. Cum ergo esse inveniatur omnibus rebus commune, quae secundum illud quod sunt, ad invicem distinctae sunt, oportet quod de necessitate eis non ex seipsis, sed *ab aliqua una causa esse attribuatur.*

uni materiali principio, ut manifestum est de *attributis* uni sanitati; et cum talis dispositio sit in entibus qualis est in medicina, manifestum est ergo quod una scientia considerat de ente, et hoc est quaesitum in hac scientia [=Metaphysica].

Et hoc nomen «ens» dicitur eo modo sicut dicitur hoc nomen «unum», quoniam dispositio generis in hoc modo est sicut dispositio in genere quod dicitur univoce, cum praedicabilia essentialia inveniuntur in hoc genere quod dicitur multipliciter, quoniam ambo habent praedicabilia essentialia et in hoc conveniunt, quoniam analogis potest *attribui* unum per se et essentiale praedicatum: aequivocis vero nequaquam nisi «casu», ut Pompilio meo nepoti et Pompilio Numae attribuitur hoc praedicatum «Pompilius», sed «casu». Item, aequivocis etiam attribui potest praedicatum «accidentale», quoniam canis stella et canis piscis et canis latrans est pulcher, non tamen competit eis essentiale praedicatum nisi «casu», ut dixi: ergo scientia analogorum est scientia primi *attributi* quod est in illo genere, et alia illi *attribuuntur* et a suo nomine denominantur» [1].

«Et sic de eis est una scientia, quoniam si significata entis et unius non essent *attributa* alicui uni significato principali, non esset consi-

[1] Averroes, *In IV Metaph,*, expositio media, n. 2. Opera (Venetiis 1560), t. VIII, fol. 89v-90r.

deratio de eis in una scientia: et hoc modo diluit Aristoteles hanc quaestionem propter errorem Parmenidis qui dicebat omnia entia esse unum ens numero. Sed dicere unum multa significare est possibile, quemadmodum dicere unum et ens significare unam intentionem universalem in omnibus rebus univoce vel fore diversum ab omnibus rebus sunt duo modi impossibiles, quia unum non significat unam intentionem univoce dictam in omnibus rebus neque intentionem diversam in omnibus illis, sed verum est quod aliqua de quibus unum praedicatur *attribuitur* primo uni et aliqua uni consequenti primum et aliqua uni consequenti secundum et sic de aliis» [1].

«Ens et unum dicuntur multis modis; sed etsi dicantur multis modis, *attribuuntur* tamen primo in eis..., quia si non essent *attributa* alicui uni non consideraret de eis una ars...: et verum est quod quaedam de quibus unum dicitur *attribuuntur* primo uni et quaedam uni consequenti primum et quaedam uni consequenti secundum et sic de aliis» [2].

«Et ideo verus sermo de ente est ut «ens» dicatur analogice de substantia et accidente, quoniam non modo aequivoco sed *per attributionem* ad unum, veluti hoc nomen «medicina» aut «medicinale» dicitur de diversis particularibus

Secunda ratio est quia cum aliquid invenitur in pluribus diversimode participatum, oportet quod *ab eo in quo perfectissime invenitur attribuatur omnibus illis in quibus imperfectius invenitur*: nam ea quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquiori *ad aliquid unum*; si enim unicuique eorum ex seipso

[1] *Ibid.*, n. 6, fol. 96v.
[2] *Ibid.*, Paraphrasis, fol. 97r.

per respectum ad unum et idem; non tamen significat unum et idem de omnibus de quibus dicitur nec etiam dicitur univoce...» [1].

«Hoc nomen «ens» dicitur de substantia et de aliis pradicamentis non modo aequivoco puro, sed secundum quod aliqua *attribuuntur* eidem, sicut plura *attribuuntur* medicinae et non est idem in rebus *attributis*..., idest et ista *attribuuntur* eidem, tamen illud idem non est in eis idem in omnibus, sed *in respectu*, verbi gratia quoniam cum dicimus: herba medicinalis et instrumentum medicinale, *attribuuntur* eidem, idest medicinae, sed non est eadem intentio medicinae in instrumento sicut in herba, quoniam si ita esset, esset sermo in eis ipsa «esse» medicinalia sicut sermo in rebus multis vivis ipsa «esse» animalia» [2].

«Ens dicitur multis modis..., et est de nominibus quae dicuntur *secundum ordinem et proportionem*, non quae dicuntur secundum meram aequivocationem neque univocationem» [3].

«Manifestum autem est quod «ens» non significat ipsa [decem praedicamenta] secundum puram aequivocationem, quia si ita esset, non esset genus subiectum huius artis quae est haec [=Metaphysica], neque darentur hic praedicata «essentialia» in quae dividatur divisio-

illud conveniret, non esset ratio cur perfectius in uno quam in alio inveniretur» [4].

[1] *In VII Metaph.* expositio media, n. 15, fol. 201r.
[2] *Ibid.*, Paraphrasis, fol. 201r.
[3] *Epitome in librum Metaphysicae Aristotelis*, tract. 1, ed. cit., t. VIII, fol. 371r.
[4] S. THOMAS, *De Potentia*, 3, 5c.

ne prima, ut cum dicimus: ens aliquod est in actu, aliquod vero in potentia, et reliqua praedicta «essentialia» quae habet; et propositio, cuius subiectum est nomen aequivocum, non habet praedicatum essentiale, et hoc totum est manifestum apud illum qui in arte logicali exercitatus est. Neque etiam nomen entis significat ipsa significatione univoca, quia si ita esset, tunc decem praedicamenta essent unum genus aut sub uno genere, cum tamen sensus testatur ipsa esse diversa et plura... Si ergo ita est totum hoc quod dicimus et nomen entis non significat decem praedicamenta pura aequivocatione neque univoce, non restat igitur quod significat ea nisi aliquo modorum analogiae, et sunt scilicet significationes nominum significantium plures res quae tamen *referuntur ad unam rem secundum prius et posterius*, ut ex ipsis apparet, ut cum dicimus aliqua quae Medicinae *attribuuntur* esse medicinalia et bello bellica...» [1].

Per attributionem autem intelligunt tam Averroes quam S. Thomas, non quidem qualemcumque praedicationem vel potius praedicabilitatem prout maxime convenit univocis [2] et suo etiam modo omnibus analogiae

---

[1] *Op. cit.*, tract. 2, fol. 376r.

[2] Quae ob id *praedicabilia* quasi per antonomasim appellantur, nempe genus, differentia, species, proprium et accidens. Quare S. Albertus Magnus: «omnis attributio sive praedicatio, ait, est aliquo quinque modorum. Prima, per substantialia, scilicet coaequata et convertibilia, sicut quando definitio attribuitur definito... Secunda attributio est per substantialia non coaequata et non convertibilia, ut cum dicitur: homo est animal... Tertia attributio est per accidentalia coaequata, ut per propria quae egrediuntur de esse subiecti, sicut risibile de homine;

modis —hoc enim sensu *attributio*, utpote communis omnibus qualitercumque praedicabilibus, praesupponitur hic—, sed praedicabilitatem essentialiter inaequalem, seriatam tamen et ordinatam secundum prius et posterius, quippe fundatam sive in processu et descensu participativo unius vel plurium participantium ad aliquod unum primum et fontale principium, atque ideo in dependentia secundariorum —unius vel plurium— ab illo alíquo uno primo et principali et maxime tali, cuius proin nomen idem suscipiunt atque sensum eius suo quoquo modo participant.

730. Tria siquidem postulantur ad naturam huiusce analogiae, nempe: a) unum primum et principale et maxime tale; b) unum vel plura secundaria ordinata secundum prius et posterius sub illo primo et principali; c) dependentia praedictorum secundariorum in nomine et ratione per nomen significata ab illomet primo, ad quod, qua talia, necessario dicunt ordinem, respectum, relationem, habitudinem, proportionem ut attributa secundaria, adiuncta vel adnexa ad subiectum primarium et formale attributionis, dictionis vel praedicationis [1]. Dicuntur se-

---

et habere tres angulos aequos duobus rectis, de essentialibus triangulo rectilineo... Quarta attributio est secundum accidentia communia quae intrinsecus insunt, ut quantitas et qualitas... Quinta attributio est per ea quae extrinsecus contingunt, quae non variant substantiam, ut agere, non agere, esse a dextris vel a sinistris, esse patrem vel filium...» (*Summa theol.*, II P., tract. 1, q. 3, memb. 2, opera, ed. cit., t. 32, pp. 18b-19a).

[1] Dicitur enim in scientiis subiectum attributionis id «cuius cognitio principaliter intenditur» et ratione cuius cetera omnia considerantur: «et inde dicitur subiectum attributionis, quippe cui omnia attribuuntur» in tali vel tali scientia (Dom. de Soto, O.P., *In Dialecticam Aristotelis*, quaest. 5 proaemiali, p. 21b. Venetiis 1574), ut syllogismus demonstrativus in Logica et Deus sub ratione Deitatis in Theologia Sacra. Et hac de causa pleonastice vocari etiam solet «subiectum attributionis et principalitatis» (Bañez, *In I P. Summae theol.*, q. 1, a. 7, § Notandum secundo, col. 51. Venetiis 1585). Quo in sensu ipse S. Thomas dixit quod «partes subiecti in scientia non solum sunt intelligendae partes subiectivae vel integrales, sed partes subiecti sunt *omnia illa quorum cognitio requiritur ad cognitionem subiecti, cum omnia huiusmodi non tractentur in scientia nisi in quantum habent ad subiectum ordinari*» (*In librum Boetii de Trinitate*, q. 2, a. 2, ad 3).

cundum ordinem et proportionem, referuntur secundum prius et posterius, dicuntur per respectum ad unum et idem, attribuuntur, dicuntur per attributionem ad unum, ait Averroes[1]; praedicantur, referuntur secundum prius et posterius, dicuntur per attributionem ad unum, secundum diversam habitudinem vel comparationem ad unum a quo denominantur, denominantur per respectum ad illud unum, inquit S. Thomas[2].

731. Porro illud unum primum et principale bifarie se habere potest ad cetera secundaria et attributa: uno modo, sicut principium *a quo* attributionis ad illa, quatenus ab illo uno ordinate causantur, procedunt, derivantur, deducuntur secundum prius et posterius, nomen eius et rationem participantia, recipientia atque habentia[3]; alio modo, sicut finis sive terminus *ad quem* attributionis illorum ad ipsum, eo quod ad illud unum reducuntur, comparantur, ordinantur sive referuntur secundum prius et posterius, ab eoque proinde denominantur, rationem eius participantia[4]. Nam et ratio analoga diversimode gradatimque descendit a supremo analogante ad cetera quibus secundario et participative attribuitur; ac vicissim eadem ratio diversimode ordinateque ascendit a secun-

---

[1] Averroes, *Locis* paulo supra *cit.*

[2] S. Thomas, *Locis cit.* Insuper *In I Sent.*, prol., a. 4c et ad 1; d. 19, 5, 1c, et 2 ad 1; *De Verit.*, 21, 4 ad 2; *De ente et essentia*, cap. 4, ed. L. Baur, pp. 30-31; *In librum Boetii de Hebdomadibus*, cap. 2, ed. Mandonnet, t. 1, p. 172; *Summa theol.*, III, 60, 1c et ad 3; *In IV Metaph.*, lect. 1, nn. 537-539.

[3] *In I Sent.*, prol. a. 2, ad 2; d. 2, 1, arg. 1 sed contra; *In II Sent.*, d. 1, q. 1, a. 1c; d. 37, 1, 2c; *De Verit.*, 2, 14c; *De Pot.*, 3, 5c, arg. 1 et 2; *ibid.*, ad 1; *Summa theol.*, 6, 4c; 44, 1c; 65, 1c; I-II, 20, 3 ad 3.

[4] *In I Sent.*, prol. a. 2 ad 2; a. 4c et ad 1; d. 19, 5, 2 ad 1; *De Pot.* 3, 5, arg. 2; 6c; *I Contra Gent.*, cap. 34; *II Contra Gent.*, cap. 15, arg. 1; *In Evangelium secundum Joannem*, prol.; *In III Metaph.*, lect. 4, n. 371; lect. 10, n. 465; lect. 11, n. 487; *In IV Metaph.*, lect. 3, n. 568; lect. 4, n. 584; *In V Metaph.*, lect. 1, nn. 749-750, 761; lect. 5, nn. 808, 824; lect. 6, nn. 827, 836; lect. 7, nn. 866, 875; lect. 11, nn. 906; lect. 13, nn. 936-937, 950-951, 953; lect. 14, nn. 954, 975-976; *In VII Metaph.*, lect. 4, nn. 1331, 1337, 1340, 1351.

dariis et participantibus ad illud ipsum primum et maximum ut ad principale subiectum attributionis.

Ut enim disserte scribit S. Thomas, «cum aliquid invenitur in pluribus diversimode participatum, oportet quod *ab eo*, in quo *perfectissime* invenitur, *attribuatur omnibus illis in quibus imperfectius invenitur; nam* ea quae positive *secundum magis et minus* dicuntur, hoc habent ex eccessu *remotiori vel propinquiori ad aliquid unum*»[1]. Atque in hoc sensu eum intellexerunt politiores

---

[1] *De Pot.* 3, 5c, arg. 2. Ceterum, quod attributio dicatur tum de deductione sive derivatione ordinata et gradali ab uno primo et maximo tum de reductione pariter gradata et ordinata ad unum maximum et primum, apparet luculenter ex contextu.

«Oportet enim, ait S. Doctor, si aliquid unum communiter in pluribus invenitur, quod *ab aliqua una causa in illis causetur*; non enim potest esse quod illud commune utrique ex seipso conveniat, cum utrumque, secundum quod ipsum est, ab altero distinguatur, et diversitas causarum diversos effectus producit. Cum ergo esse inveniatur omnibus rebus commune, quae secundum illud quod sunt ad invicem distinctae sunt, oportet quod de necessitate *eis* non ex seipsis, sed *ab aliqua una causa esse attribuatur*» (*De Pot.*, 3, 5c, arg. 1). Et rursus: «contraria considerabant [antiqui Philosophi] secundum hoc tantum quod diversa sunt ex natura speciei, non autem secundum quod est aliquid unum in eis ex natura generis, licet contraria in eodem genere sint; unde non *attribuebant* eis causam secundum id in quo conveniunt, sed secundum hoc in quo differunt, et propter hoc in duo prima contraria sicut in duas primas causas omnia contraria *reduxerunt*... Sed oportet omnia *reducere* in unum principium primum...; quia in quibuscumque diversis invenitur aliquid unum commune oportet ea *reducere* in unam causam quantum ad illud commune, quia *vel* unum est causa alterius *vel* amborum est aliqua causa communis» (*De Pot.*, 3, 6c, paulo post initium et arg. 1. Cf. etiam arg. 3). Quae ultima verba coincidunt cum duplici modo reductionis analogorum attributionis ad aliquod unum analogatum princeps: «analogice, hoc est, secundum ordinem vel respectum ad aliquid unum. Quod quidem dupliciter contingit: *uno modo*, secundum quod *multa* habent respectum *ad* aliquid *unum*, sicut secundum respectum ad unam sanitatem animal dicitur sanum ut eius subiectum, medicina ut eius effectivum, cibus ut conservativum, urina ut signum; *alio modo*, secundum quod *duorum* attenditur ordo vel respectus, non ad aliquid alterum, sed *ad unum ipsorum*, sicut ens de substantia et accidente dicitur secundum quod accidens ad substantiam respectum habet, non quod substantia et accidens ad aliquid tertium referantur» (*I Contra Gent.*, cap. 34. Vide etiam aequivalentem divisionem in *De Pot.*, 7, 7c).

quidam eius discipuli, ut Joannes a S. Thoma [1], Complutenses dominicani [2] et Salvator Roselli [3]. Ideo S. Doctor asserit quod «denominatio fit *a potiori*» [4], eo quod «denominationes consueverunt fieri *a perfectiori*» [5]. Qua de causa, «magis denominatur aliquid *ab eo a quo dependet* quam ab eo quod dependet ab ipso» [6]. Unde et «*omnia quae habent ordinem ad unum aliquid, licet diversimode, ab illo denominari possunt*: sicut a sanitate quae est in animali denominatur sanum, non solum animal quod est sanitatis subiectum, sed dicitur medicina sana in quantum est sanitatis effectiva, diaeta vero in quantum est conservativa eiusdem, et urina in quantum est significativa ipsius» [7].

---

[1] «Solet... appellari analogia attributionis, eo quod ab uno principaliori solet fieri denominatio seu attributio ad alia, ut a sanitate animalis fit attributio et denominatio ad urinam et medicinam quae etiam dicuntur sana» (Joannes a S. Thoma, *Cursus philosophicus*, Logica, II P., q. 13, a. 3, ed. cit., t. I, p. 483b).

[2] «Dicuntur haec analoga *attributionis* aut proportionis, quia res significata per nomen invenitur principaliter in uno *a quo cetera denominantur propter proportionem aut ordinem ad illud*: illi enim *tribuitur* quod reliqua sic denominentur» (Complutenses Ord. Praed., *Logica*, q. 7, a. 3, n. 27, pp. 453-454. Compluti 1667).

[3] «Proportio plurium ad unum vocari solet analogia *attributionis*, *eo quod ab uno*, quod dicitur principale analogatum, *denominatio aliis attribuitur*. Sic a sanitate animalis attribuitur sanitas medicinae et urinae, quatenus medicina est causa, urina est signum sanitatis» (Salvator Roselli, *Summa philosophica, Logica*, q. 11, a. 1, t. I, p. 323, nota 2. Matriti 1788).

Et iam pridem idipsum significasse videtur Thomas de Claxton, O.P. (c. 1400) quando ait quod nomen analogum hoc modo analogiae «dicitur de pluribus *per attributionem* ad unum primum» (*Quodlib.* 5, *Utrum in creaturis sit realis compositio essentiae et esse*, obi. 18, ed. M. Grabmann, «Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aquinatis» 1943, p. 103), «dicitur de multis in ordine ad aliquod unum... *cui attribuuntur*», quia huiusmodi analogia «est *ordo vel attributio* multorum ad unum *ad quod fit attributio*» (*ibid.*, ad 23, p. 115), siquidem «ab uno descendunt» vel «ad unum referuntur» (*Quodlib.* 6, *Utrum ens sit univocum ad decem praedicamenta et etiam Deo et creaturis*, ibid, p. 135), et ideo «sumitur *secundum attributionem ad unum, quo variato variantur per se omnia attributa*» (Ibid., p. 136). Cf. etiam Jacobum de Viterbo, *loc. cit.*, pp. 88, 89, 104, 105.

[4] S. Thomas, I-II, 25, 2 obi. 1.

[5] I, 115, 2c.

[6] *De Malo*, 1, 4 ad 5.

[7] III, 60, 1c.

Art. 2.- Notio etymologica et usualis

732. Cui et ex amussim respondet primaria et fundamentalis significatio verbi huius. *Attributio* enim, ab attribuendo, ex praepositione *ad* et verbo *tribuere* derivatur. *Tribuere* autem primitus nominavit tum aequam et iustam impositionem onerum et munerum, quasi censum et pensum, *tribubus* agrum romanum occupantibus, nempe actum iustitiae distributivae —siquidem «ager romanus, ut ait Varro, primum divisus in partes *tris, a quo tribus* appellata Titiensium, Ramnium, Lucerum» [1], quasi *tertia pars eius*—, tum ipsum iustum tributum ab eis communitati solutum, iuxta illud eiusdem Varronis: «*tributum* autem *a tribubus*, quod ea pecunia, quae populo imperata erat, *tributim* a singulis *pro portione* census exigebatur» [2]. Et inde consequenter nominavit stipendium militibus distribuendum: «ab hoc ea, quae assignata erat, *attributum* dictum; ab eo autem quoque quibus *attributa* erat pecunia ut militi reddant, *tribuni* aerarii dicti; id quod *attributum* erat, aes militare» [3]. Quo etiam in sensu tributio, quasi redditio sive distributio, extenditur ad omnem materiam iustitiae et ponitur in eius definitione ut proprius eius actus [4], dicente Ulpiano: «*tributio* fit *pro rata* eius quod cuique debeatur» [5]. «Hinc εὔνομον, quod *unicuique adtributio sua* sit adscripta» [6].

Tribuere igitur directe significat, sive aequam et proportionatam *distributionem* onerum et munerum communitatis ad particulares personas, sive consequenter aequam et proportionatam *contributionem* tributorum et officiorum particularium ad communitatem. Qui quidem

---

[1] Varro, *De lingua latina*, lib. 5, & 55, ed. cit., pp. 22-23.

[2] *Ibid.*, & 181, p. 70, 6-8.

[3] *Loc. cit.*, p. 170, 8-10.

[4] Cf. S. Thomam, II-II, 58, 1.

[5] Ulpianus, *Dig.*, lib. XIV, tit. 4, & 19. Corpus iuris civilis, ed. Christoph. Henric. Freiesleben, t. I, col. 497, Coloniae 1775.

[6] Apuleius, *Liber de Mundo*, cap. 38, ed. A. Goldbacher, p. 135, 19-20. Vindobonae 1876.

ordo —accessus et directionis— totius ad partes vel partium ad totum in distributione et contributione proportionali optime exprimitur verbo *attribuere*, siquidem praepositio *ad* accessum atque directionem significat. Nimirum *adtributio* vi nominis indicat descensum ordinatum et proportionatum secundum prius et posterius a toto et principali ad partes et secundaria; itemque adscensum proportionatum et ordinatum, secundum prius et posterius, partium et secundariorum ad totum et principale: quasi addendo sive adiiciendo atque ideo reducendo secundaria ad principale, et iterum deducendo sive protendendo et extendendo —participando— principale ad secundaria et in secundariis, eo fere modo quo totum aliquod potestativum extenditur et explicatur per partes suas potentiales.

Tandem ex hac significatione iuridica et ontologica extenditur hoc nomen ad significationem logicam sive rationalem vel intellectualem praedicationis, hoc est, affirmationis vel negationis alicuius de aliquo, nimirum praedicati —quod et *attributum* dicitur— de subiecto: nam praedicatum, quod per se convenit subiecto, ei *debetur*, atque ideo *iustum* est ut subiecto *attribuatur*. Quemadmodum enim *iudicium*, a iure vel iusto dicendo et determinando [1] primo dictum est de ordine iuridico sive iustitiae et postmodum extensum est ad ordinem logicum sive cognitionis [2], ita et *attributio* quae in ipso iudicio involvitur veluti terminus formalis eius, quasi verbum mentis iudicantis, idest enuntiatio sive propositio

---

[1] «*Dico* originem habet graecam, quod graeci δειχνύω. Hinc Ennius: *dico* qui... Hinc *dicare*; hinc *iudicare*, quod tunc *ius dicatur*; hinc *iudex*, quod ius [de] dicat accepta potestate, idest quibusdam verbis *dicendo finit*», idest determinat per modum sententiae (Varro, *De lingua latina*, lib. VI, & 61, pp. 94-95).

[2] «Nomen *iudicii*, quod secundum *primam* impositionem significat rectam determinationem *iustorum*, *ampliatum* est ad significandum rectam determinationem *in quibuscumque rebus, tam in speculativis quam in practicis*» (S. Thomas, II-II, 60, 1 ad 1).

aut praedicatio mentalis [1], ab ordine iuridico ad ordinem logicum extenditur. «Tunc autem, ait S. Thomas, *iudicat* intellectus de re apprehensa quando *dicit* quod aliquid *est vel non est*, quod est intellectus componentis et dividentis», idest affirmantis vel negantis [2]: «*praedicatio* enim est quoddam quod completur per actionem intellectus componentis et dividentis, habens tamen fundamentum in re» [3]. In ordine igitur logico praedicatio tantumdem valet quod attributio. Ideo S. Thomas: «quia tam esse quam etiam operari non est solum formae neque solum materiae, sed coniuncti, esse et agere duobus *attribuitur*, quorum unum se habet ad alterum sicut forma ad materiam: *dicimus* enim quod homo est sanus corpore et sanitate, et quod est sciens scientia et anima, quorum scientia est forma animae scientis et sanitas corporis sani. Vivere autem et sentire *attribuitur* animae et corpori: dicimur enim et vivere et sentire anima et corpore, sed anima tamen sicut principio vitae et sensus» [4]. Et rursus: «quae *attribuuntur* alicui eidem secundum diversas formas, *praedicantur* de invicem per accidens: album enim *dicitur* esse musicum per accidens, quia Socrati accidit albedo et musica» [5].

Atque de ordine iustitiae, ubi primo verbum dictum est, scribit: «ad *iudicium* duo pertinent, scilicet discussio meritorum et *retributio* praemiorum» [6]: «omnis au-

---

[1] «Illud ergo proprie dicitur *verbum interius* quod intellectus intelligendo format. Intellectus autem duo format, secundum duas eius operationes: nam secundum operationem suam, quae dicitur indivisibilium intelligentia, format definitionem; secundum vero operationem suam, qua componit et dividit, format enuntiationem vel aliquid huiusmodi. Et ideo illud sic formatum et expressum per operationem intellectus vel definientis vel enuntiantis, *exteriori voce significatur*» (S. Thomas, *In Evangelium secundum Joannem*, cap. 1, lect. 1, ed. Marietti, p. 10a. Cf. etiam I-II, 90, 1 ad 2).

[2] *De Verit.*, 1, 3c.

[3] *De ente et essentia*, cap. 4, ed. cit., p. 36, 10-12.

[4] *II Contra Gent.*, cap. 57, arg. 8.

[5] *II Contra Gent.*, cap. 48, arg. 1, Cf. etiam *Quaest. disp. De Anima*, 11c; *De ente et essentia*, cap. 4, ed. cit., pp. 30-31.

[6] *In IV Sent.*, d. 47, 1, 3, qla. 2c.

tem *retributio* qua diversa redduntur secundum diversitatem meritorum, *iudicium* requirit»[1]; «*iudicium* importat *retributionem* respectu cuius meritum vel demeritum dicitur»[2].

Sicut ergo in ordine causandi et essendi virtus et perfectio primi et principalis diversimode, sed proportionaliter secundum prius et posterius participatur in secundariis et derivatis atque ideo eis attribuitur a primo et ad primum, ita etiam in ordine praedicationis ratio analoga diversimode, sed proportionaliter praedicatur secundum prius et posterius de primo et principali ac de secundariis et derivatis secundum attributionem sive respectum et reductionem ad illum primum cui maxime et per se convenit. Veritas enim attributionis logicae sive praedicamentalis fundari debet in attributione causali vel ontologica, idest in attributione reali, cui adaequari et conformari debet. Formaliter tamen haec analogia attributionis nominat attributionem logicam sive praedicabilitatem eorum quae sic analoga dicuntur in ordine ad unum primum et principale, hoc est, non secundum eandem omnino rationem ut in praedicatione univoca praedicabilium, sed secundum rationem essentialiter diversam et proportionaliter eandem ob unitatem et identitatem termini principalis ad quem dicunt ordinem et proportionem vel cuius rationem participant secundum prius et posterius. Sic enim communis praedicatio huiusce modi analogiae primariam et fundamentalem retinet significationem verbi *attributionis*, quae inaequalem sed proportionatam et seriatam involvit rationem signficatam per ipsum atque praedicabilem de suis inferioribus *secundum attributionem* ab uno et ad unum principale et maxime tale. Hoc enim sensu primario et maxime proprio et stricto talis praedicatio vel praedicabilitas analogica fit et dicitur *per modum attributionis*, ob idque talis

---

1 *IV Contra Gent.*, cap. 96.
2 I-II, 21, 4, arg. sed contra.

analogiae modus propriissime atque exactissime appellatur *analogia attributionis.*

Neque aliud quidquam, sed omnino idipsum significarunt graeci per ὁμώνυμα ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, nam eorum aequivocatio non est a casu, sed a consilio, nimirum per attributionem ab uno et ad unum[1].

---

1 [*Nota Editoris*: Quaestio Secunda *De singulis analogiae modis in particulari* non amplius progreditur in elaboratione manuscripta auctoris. Desiderabatur ergo investigatio ulterior analogiae attributionis et proportionalitatis. De his tamen non pauca tradita sunt in quaestione praecedenti de divisione generali analogiae, ita ut tota quaestio absoluta evadat fundamentaliter. Hic ergo finis ultimae elaborationis tractatus de analogia. Sequens tertia sectio *de proprietatibus analogiae* reassumitur ex primaeva editione, ut praenuntiavi initio huius operis].

PRIORIS PARTIS SECTIO TERTIA
PROPRIETATES ANALOGIAE

SECTIO TERTIA

PROPRIETATES ANALOGIAE

733. Ecce tandem accedimus ad ultimam partem studii nostri, scilicet ad *proprietates analogiae.* Proprietates autem —quae et *propriae passiones* apud peripateticos audiunt— *per se in secundo modo dicendi per se* de proprio subiecto dicuntur, *a quo* etiam per se hoc modo erumpunt per quandam emanationem sive resultantiam. Propriam ergo naturam analogiae, prout hucusque explicata est, intimius inspicere oportet, ut ex ea propriae passiones inferantur. Atqui analogiam dupliciter consideravimus, nempe *in communi* et *in speciali,* singula membra divisionis eius perlustrando. Ergo et *proprietatum* eius *quaedam* per se convenire debent *analogiae ut sic, quaedam* autem *singulis modis analogiae* quatenus ab analogia ut sic discriminantur; cum enim non sint omnino idem formaliter analogia ipsa et analogiae modi, impossibile est quod eaedem proprietates *per se et secundum quod ipsae* utrique respondeant. Inde igitur fundamentum *duplicis considerationis,* videlicet *proprietatum generalium* analogiae *ut sic* et *proprietatum specialium* singulorum modorum eius.

Momentum huiusce considerationis maximum est; per eam siquidem completur doctrina hucusque tradita et aperiuntur viae quibus a posteriori et in concreto singulos analogiae modos et analogiam ipsam dignoscere valemus, demumque sciamus quid cuique respondat.

CAPUT I

PROPRIETATES GENERALES ANALOGIAE

734. Sicut *analogia* ut sic dupliciter consideratur, *logice* nempe et *metaphysice* (ontologice), ut ex paedictis constat, ita et *proprietates* generales ipsius; quia enim proprietates uniuscuiusque proportionantur naturae cuius sunt, necesse est quod, sicut datur proportionalitas inter diversos adspectus vel formalitates naturae, ita etiam detur inter formalitates vel adspectus diversos proprietatum eius. Sic ergo *proprietates generales* analogiae erunt *duplicis generis*: *logicae* et *ontologicae*; per prius tamen ontologicae seu metaphysicae quam logicae, sicut et natura eius per prius est metaphysica quam logica *; et sicut ens rationis (logicum) proportionatur et assimilatur enti reali (metaphysico) ita etiam proprietates logicae analogiae proportionari et respondere debent proprietatibus ontologicis eiusdem.

(*) Cf. tamen *animadversionem notulae praeviae* huius operis editoris, pagina XIII voluminis primi.

Art. 1.- Proprietates ontologicae Analogiae

735. *Prima proprietas ontologica*, quae caput est fundamentumque caeterarum, reponitur in eo quod *analogia ipsa est analoga*.

Quod quidem *ratione* ostendi potest; tum *a priori*, quia est praedicatum entis in quantum ens, quod *denominat seipsum*; dicimus enim vere quod ens in quantum ens est analogum, et consequenter, sicut vere dicitur: ens in quantum ens est ens, vel: entitas est ens, ita etiam vere dici debet: *analogia in quantum analogia est analoga*, et sicut ens est ens entitate sua ita et analogia debet esse analoga propria analogia: tum etiam *a posteriori* diversos analogiae modos *inductive* considerando, ex quo apparet illos inter se esse *analogos* utpote *analogice* tantum convenientes; non enim est eadem ratio analogiae in analogia attributionis et in analogia proportionalitatis, sed simpliciter diversa, ut patet si quis assignare velit definitionem utriusque analogiae secundum quod analogiae sunt, quia non dabit eandem definitionem, sed simpliciter diversam, cum ratio *simpliciter diversa*, quae utrobique ponitur, non sumatur in eodem sensu, sed in sensu simpliciter diverso[1]; nec mirum, quia uterque terminus, *simpliciter* et *diversum*, sunt et ipsi analogici. Et de facto uterque modus analogiae dicitur diversimode secundum prius et posterius iuxta diversas considerationes, ut postmodum ostendetur.

736. Quod autem doctrina haec desumpta sit ex ipsis visceribus philosophiae peripateticae, haud aegre monstrari potest. *Aristoteles* enim utitur analogia in omnibus partibus philosophiae, quae non univoce, sed analogice conveniunt inter se. Adhibet namque analogiam in Lo-

---

[1] Cf. definitiones supra traditas; nam *simpliciter diversum* est quod *forma* analoga sit *in uno* tantum intrinsece (analogia attributionis) et quod sit *in omnibus* analogatis (analogia proportionalitatis).

gica, scilicet in Praedicamentis, Posterioribus Analyticis et Topicis; in Physica, tam generali (loquendo de materia et forma, quae analogice natura dicuntur) quam speciali (disserendo de intellectione et sensatione, quae analogice appellantur cognitiones); in Metaphysica, dum sermonem facit de ente eiusque proprietatibus et divisionibus, ut sunt praedicamenta et potentia et actus, in actu vero exercito loquitur analogice per totam Metaphysicam; postremo in Ethica, quando loquitur de bono. Imo et explicite videtur admittere analogiam inter duos modos analogiae attributionis et proportionalitatis; ponit enim analogiam inter analogiam sanitatis ad sanitatem animalis, quae est analogia attributionis purae, et analogiam entis ad substantiam, quae est analogia attributionis mixtae cum analogia proportionalitatis, ex qua infert analogiam inter Medicinam et Metaphysicam et inter unitatem unius et unitatem alterius[1]. Huiusmodi autem analogia est proportionalitatis, quia est diversorum ad diversa, et nisi in altero membro sumatur attributio quatenus formaliter addit proportionalitatem, tautologica et inutilis foret comparatio.

737. Pariter *S. Thomas analogiam* praedicat de Deo et creaturis, inter quos tamen *nihil univoce* dicitur secundum ipsum. Expresse etiam agnoscit analogiam inter analogiam metaphoricam dictam de Deo et creaturis et de creaturis inter se, dum scribit: «*sicut* enim ridere

---

[1] Nam sicut *Medicina* est *una* scientia quia est *unum subiectum sanitatis* (animal) in ordine ad quod caetera sana dicuntur, ita *Metaphysica* est *una* scientia, quia est *unum subietum entis* (substantia) in ordine ad quam reliqua entia dicuntur. Hanc analogiam ulterius evolvit S. Thomas, applicando ad S. Theologiam, nam etiam S. Theologia est ita *una* scientia, quia est *unum subiectum omnium divinorum* (Deus) —non quidem subiectum inhaesionis, sed *subiectum praedicationis*— respectu cuius caetera divina nuncupantur (S. Thomas, *I Sent.* prol., q. 1, art. 4 ad 1 et in fine corp.) quaeque *fundatur* in triplici causalitate Dei, scilicet efficienti, exemplari et finali (Cf. *I Sent.* prol., q. 1, art. 2, arg. 1 sed contra et ad 2; I, q. 1, art. 3, ad 1, et art. 7). [Quid autem auctor ultimo senserit de analogia «mixta» constat ex volumine praecedenti. *Nota Editoris*].

dictum de prato nihil aliud significat quam quod pratum similiter se habet in decore cum floret sicut homo cum ridet secundum similitudinem proportionis, *sic* nomen leonis dictum de Deo nihil aliud significat quam quod Deus similiter se habet ut fortiter operetur in suis operibus sicut leo in suis»[1].

Et idem extendi potest ad analogiam propriam, quia ita se habet analogia proportionalitatis propriae ad propriam, sicut analogia proportionalitatis metaphoricae ad metaphoricam. Unde et quidam thomistae, ut *Araujo*[2] et *Lerma*[3], hanc analogiam analogiae explicite asseruerunt. Et iam pridem *Ammonius* praeclare dixerat: «*aequivocorum* autem praeceptionem per *aequivocas* voces confecit (Aristoteles), *nam idipsum quoque aequivocum aequivocum est*, cum *pluribus modis* dicatur»[4].

738. Et quia semper prius salvatur in posteriori, necesse est quod omnia, quaecumque analogiae ut sic conveniunt, sint analoga. Unde sequitur statim *altera proprietas*, scilicet *analogiam habere superioritatem analogam respectu modorum eius*, hoc est, habere *abstractionem* analogam qua ab illis *praescindat* analogice et *unitatem* analogam qua ad eos analogice *descendat*, et hoc idem est ac dicere quod habet abstractionem proportionalem et unitatem *proportionalem*, non autem unitatem et abstractionem *simpliciter*.

Abstractio proportionalis dicitur *imperfecta* vel *inadaequata* vel etiam *secundum quid*, quia non potest intelligi non cointellectis omnino analogatis sub ipsa for-

---

[1] S. Thomas, I, 13, 6.
[2] F. Araujo, *loc. cit. in IV Metaph.*, q. 2, art. 1, n. 5, p. 439, col. 2 B.C.
[3] C. Lerma, *In Logicam Dominici Soto*, lib. 6, q. 7, p. 628. edit. Romae, 1657.
[4] Ammonius, *In Praedicamenta Aristotelis*, fol. 3, col. 4, edit. Venetiis, apud Hieronym. Scotum, 1550. Manifestum est autem quod sub aequivocis comprehendit analoga, ut patet ex toto contextu et ex more peripateticorum quem gerit.

maliter sumptis, licet possit intelligi non cointellectis illis materialiter vel absolute consideratis, et in hoc distinguitur ab abstractione *univoca*, quae *simpliciter* et *perfecta* dicitur, quia perfecte potest intelligi natura univoca non cointellectis omnino univocatis, sicut possum perfecte intelligere quid est animal in quantum animal non cointellectis omnino quid est homo aut bos. Sic ergo «analogi abstractio (et abstractio analoga) non consistit in cognitione unius et non in cognitione alterius, sed in unius et eiusdem intellectione *ut sic* et non in intellectione *absolute*. Verbi gratia, entis abstractio non consistit in hoc quod entitas apprehenditur et substantia aut quantitas non ; sed in hoc quod substantia aut quantitas apprehenditur *ut sic* se habet ad proprium esse: secundum hoc enim similitudo proportionaliter attenditur, et non apprehenditur substantia aut quantitas *absolute*. Et simile est de aliis rebus analogis, quales sunt fere omnes metaphysicales. Unde concedi potest rem analogam abstrahere et non abstrahere ab analogatis diversimode; *abstrahere* quidem, pro quanto abstrahit ab eis quemadmodum res *ut sic*, id est, res similis alteri proportionaliter, abstrahit a se *absolute* sumpta; *non abstrahere* vero, pro quanto res *ut sic* accepta *seipsam* necessario includit, et absque seipsa intelligi non potest. Quod de univocis dici non potest, quia res univoca absque aliis, quibus est univoce communis, intelligitur sic quod eas in suo intellectu nullo modo actualiter includit»[1].

Quapropter merito S. Thomas dixerat de univocis: «v.gr. ipsa natura humana in intellectu habet esse *abstractum ab omnibus* individuantibus, et ideo habet *uniformem rationem* ad omnia individua quae sunt extra animam, prout est *essentialiter* similitudo omnium ducens in omnium cognitionem in quantum sunt in eo, quia eius operatio *ad omne individuum quod fuit et est*

---

[1] Caietanus, *De Analogia nominum*, cap. 5, p. 261; cf. etiam *ibid.*, cap. 4, p. 257.

et erit est una, et qualitercumque primum positum fuerit in intellectu, hanc deputationem habebit et aliud superveniens non augebit» [1]. E contra quando loquitur de aequivocis vel analogicis *pluralitatem* ponit [2], et hoc ideo quia «unum proportionaliter non est simpliciter unum, sed multa similia secundum proportiones, a quibus ideo non potest abstrahi res una simpliciter, quia similitudo ipsa proportionalis tantum est et fundamentum non est unum nisi proportionaliter. De ratione siquidem unius proportionaliter est habere quatuor terminos, ut in V Ethic. dicitur, quoniam proportionalitas qua similitudo proportionum fit, inter quatuor ad minus (quae duarum proportionum extrema sunt) necessario est, et consequenter unum proportione non unificatur simpliciter, sed distintionem retinens, unum pro tanto est et dicitur, pro quanto *proportionibus dissimilibus divisum non est*. Unde *sicut* non est alia ratio quare unum proportionaliter non est unum absolute, nisi quia ista est eius ratio formalis, *ita* non est quaerenda alia ratio cur a similibus proportionaliter non potest abstrahi res una: hoc enim ideo est, quia similitudo proportionalis talem in sua ratione diversitatem claudit. Et accidit ulterius procedentibus ut quaerant id quod sub quaestione non cadit, ut quare homo est animal rationale» [3].

739. Quia ergo analogia ipsa *est* analoga, necesse est quod *unitatem* analogan sibi vindicet, propterea quod, sicut scite argumentatur Joannes a S. Thoma, «*ubi est similitudo est unitas conceptus iuxta modum similitudinis et convenientiae*; si similitudo fuerit simpliciter et absolute, etiam unitas abstracta simpliciter erit unitas; si similitudo fuerit secundum quid et proportionalis tantum, non poterit unitas purificari ab omni diversitate,

---

[1] S. Thomas, *Opusc. I de Universalibus*, edit. Desclée, Romae, 1913, t. I, p. 516.
[2] Cf. I, 13, 5, in fine corp. et *IV Metaph.*, lect. 1, n. 535.
[3] Caietanus, *opusc. cit.*, cap. 5, pp. 261-262.

sed erit partim idem, partim diversum, qualis est unitas proportionalis, non idem simpliciter; *esset enim univocum*»; et ideo merito concludit quod «analogum est *universale secundum quid*, sicut est *unum secundum quid, et abstractum secundum quid*» [1].

Unde, quia inter analogiam in actu signato et analogiam in actu exercito datur proportio seu analogia, dicendum est quod, *sicut* analogum *in actu exercito*, puta ens, se habet ad sua inferiora analogata, scilicet praedicamenta, a quibus non perfecte abstrahit, sed in eis intrinsece et formaliter imbibitur, *ita* etiam analogia *in actu signato* se habere debet ad sua analogata inferiora, nempe ad diversos modos analogiae; unde non perfecte abstrahit, sed intrinsece et formaliter imbibitur in analogia attributionis et analogia proportionalitatis: item, quia inter totum et totum, et partem et partem, et similiter inter totum et partes, et partes et subpartes, datur proportionalitas, necesse est quod, *sicut* non datur perfecta abstractio analogiae ut sic ab analogia attributionis et proportionalitatis, *ita* nec perfecte abstrahere potest *uterque iste modus analogiae a suis modis analogatis*. Et quia non potest perfecte intelligi sine alio id quod non potest perfecte abstrahere ab illo, sequitur a primo usque ad ultimum quod *non potest perfecte et complete intelligi quid sit analogia in actu signato, non cointellectis omnibus modis analogiae a primo usque ad ultimum*; et ideo *perfecta notio analogiae non potest haberi usque ad terminum divisionis eius*, in quo apparet evidenter quod verba illa, *simpliciter diversa et secundum quid eadem*, in difinitione posita, *actu implicite* includunt et includuntur in diversis modis identitatis et diversitatis diversorum modorum analogiae sub notione illa communi analoga contentorum.

Si quis autem dicat has esse nimias subtilitates et

---

[1] Joannes a S. Thoma, *Cursus Philosophicus*, t. I, *Logica*, II P., q. 13, art. 5, solv. arg., p. 421.

nos committere circulum vitiosum dum analogiam per analogiam explicamus, sciat quod analogia non debet univoce intelligi et explicari, ut multi fecerunt et faciunt, quim ipso facto desinat esse analogia; et insuper advertat nos explicare analogiam *in actu signato* per analogiam *in actu exercito* et e converso sine circulo vitioso, quia se habent ad invicem sicut *materia* et *forma*. Talis est enim conditio anlagorum, ut nonisi per se ipsa diversimode inspecta explicari possint.

Art. 2.- Proprietates logicae Analogiae

740. Proprietates logicae analogiae reduci possunt ad tres, secundum tria quae considerantur in Logica, scilicet definitio (conceptus), divisio (enuntiato, composito-divisio) et argumentatio (syllogismus).

741. *Primo* ergo *analogia habet conceptum formalem analogum.* Oportet enim conceptum formalem respondere conceptui obiectivo in quo fundatur. Atqui conceptus obiectivus analogiae est analogus ut ostensum est[1]. Ergo et analogus est conceptus formalis eius. Unde Caietanus scribit: «conceptus quoque mentalis non eodem modo invenitur in univocis et analogis, quoniam nomen univocum et omnia univocata *ut sic* unum tantum conceptum in mente habent perfecte et adaequate eis correspondentem, quia fundamentum univocae similitudinis (quod significatum formale est nominis univoci) unius omnino rationis est in omnibus univocatis, ac per hoc in uno praesentato, omnia repraesentari necesse est. In analogis vero, quoniam fundamenta analogae similitudinis *diversarum sunt rationum simpliciter et eiusdem secundum quid*, id est, secundum proportionem, oportet duplicem analogi *mentalem conceptum* distinguere, *perfectum* et *imperfectum*, et dicere quod analogo et suis analogatis respondet unus conceptus mentalis imperfectus et tot perfecti quot sunt analogata. Quia enim unum analogatorum ut sic, simile est alteri, consequens est quod conceptus repraesentans unum repaesentet alterum, iuxta illam maximam: quidquid assimilatur simili ut sic, assimilatur etiam illi, cui illud tale est simile. Quia vero talis similitudo secundum proportionem tantum est, quae diversam rationem in altero fundamentum habet, conceptus perfecte repraesentans unum analogatorum a perfecta repraesentatione alterius deficit, et consequenter oportet alterius analogati alterum adaequatum conceptum esse. Unde et analogum unum habere mentalem conceptum et plures habere conceptus mentales verum est diversimode, quamvis *simpliciter loquendo magis debeat dici analogi esse plures conceptus*, nisi loquendi occasio aliud exigat»[1].

Et alibi, exponens analogiam inter conceptum formalem univocum et analogum, ita pergit: «*sicut* conceptus formalis animalis repraesentat fundamentum similitudinis genericae, et conceptus formalis hominis repraesentat fundamentum similitudinis specificae, et universaliter quaelibet imago communis pluribus in repraesentando repraesentat fundamentum similitudinis inter illa plura... *sic* conceptus entis formalis repraesentat fundamentum analogiae similitudinis *in esse* inter omnia entia realia existentis, quod in omnibus esse absque opere intellectus ex eo patet quod similia sunt extra animam»[2].

742. *Secundo* sequitur *analogiam habere divisionem analogam*, ut divisio respondeat divisibili.

[1] Cf. explicationem horum terminorum apud Caietanum, *Comment. in de Ente et Essentia*, cap. 1, q. 2, edit. de Maria, 1907, pp. 26-27; apud Ferrariensem, *Comment. in I Contra Gent.*, cap. 34, pp. 226-231 et apud Froylanum Diaz, *Logica*, de Antepraedic., q. 2, art. 4, edit. cit., p. 458. [*Nota Editoris*: De hac re amplius actum est supra, n. 284 ss.].

[1] Caietanus, *De Analogia nominum*, cap. 4, p. 258.
[2] *Comment. in de Ente et Essentia*, cap. 1, q. 2, p. 28.

Quid autem sit divisio analoga, patet ex dictis supra dum de divisione analogiae sermo fieret; iuvat tamen haec alia verba S. Thomae addere: «*duplex est divisio*: *una* qua genus *univocum* dividitur in suas species, quae *ex aequo* participant genus, sicut animal in bovem et equum; *alia* est divisio communis *analogi* in ea de quibus dicitur *secundum prius et posterius*, sicut ens dividitur per substantiam et accidens et per potentiam et actum, et in talibus ratio communis *perfecte* salvatur *in uno, in aliis* autem *secundum quid et per posterius*, et talis est divisio peccati per veniale et mortale»[1] et substantiae per primam et secundam[2] et bonum per honestum, utile et delectabile[3].

Si ergo divisio analogiae est analoga, *necesse est quod ratio analoga diversimode dicatur de diversis modis analogiae secundum prius et posterius, ita ut de uno dicatur simpliciter et perfecte et de altero imperfecte et secundum quid.*

743. Et inde *quaestio, utra analogia dicatur per prius, attributionis an proportionalitatis.*

Rem ita solvimus: analogia considerari potest *dupliciter*: uno modo *logice*; alio modo, *metaphysice*. Si ergo *logice* consideretur, sic per prius et perfectius dicitur analogia de analogia proportionalitatis quam de analogia attributionis, quia *maior* est *diversitas* in illa quam in ista, cum in hac sit *identitas* termini attributionis (analogia unius vel plurium *ad unum*), in illa vero sit diversitas ex parte termini et ex parte praedicati (analogia plurium *ad plura*). Diversitas enim est id quod *simpliciter* analogiae competit, et ideo ubi plus diversitatis est (servata tamen unitate secundum quid), ibi etiam est plus analogiae simpliciter loquendo[1].

Sin autem *metaphysice*, tunc distinguendum videtur; quia *vel* sumitur *forma* analoga *sub ratione diversitatis*, et in hoc casu plus diversitatis dicit analogia attributionis quan analogia proportionalitatis, quia *plus distat forma a non-forma* ut habetur in analogia attributionis (nam in analogatis inferioribus *non invenitur forma* analoga, sed in primo analogato tantum), *quam forma a forma* ut accidit in analogia proportionalitatis, ubi in omnibus analogatis forma analoga reperitur; *vel* sumitur *sub ratione formae vel entitatis ut sic*, et tunc sine dubio analogia proportionalitatis plus analogiae dicit quam analogia attributionis. Et merito, quia eo ipso quod analogia ipsa est analoga, in ea praedicatur abstractum de concreto sicut in ente, et consequenter necesse est pervenire ad identitatem analogiae in actu signato et in actu exercito (ut *quo* et ut *quod*). Constat autem analogiam proportionalitatis plus accedere ad ens quam analogia attributionis, quia illa de ente dicitur per se secundum quod ipsa, haec vero non item, sed quasi per accidens. Quia ergo de analogia maxime iudicandum est secundum considerationem *metaphysicam*, in qua plus attenditur *forma et entitas* quam diversitas, quae proprius passio entis praedicamentalis est, ideo simpliciter concedendum est analogiam proportionalitatis esse summum analogatum ipsius analogiae, in ordine ad quam caeterae omnes analogiae dicantur, sicut in actu exercito omnia analoga dicuntur talia per ordinem ad analogiam entis, quae, idcirco, si per impossibile tolleretur, nihil analogum esset in rebus. Unde verissime Caietanus caeteras analogias abusive tales vocat, si comparentur ad hanc, quam proprie analogiam appellat[2].

Footnotes (p. 1684):

[1] S. Thomas, *De Malo*, 7, 1 ad 1; cf. etiam I-II, 88, 1, et *De Verit.*, 1, 2.
[2] *De Potentia*, 9, 2, ad 6.
[3] I, 5, 6, ad 2 et 3. [Cf. S. Albertum Magnum, *Metaph.*, p. 206a].

Footnotes (p. 1685):

[1] Hoc etiam innuere videtur Ferrariensis, *in I Contra Gent.*, cap. 34, p. 223.
[2] Caietanus, *Opuc. cit.*, cap. 2, p. 254, et cap. 3, pp. 255-256. [*Nota Editoris*: Dum haec scriberet auctor non agnoscebat adhuc analogiam attributionis *intrinsecae*].

744. Denique infertur *tertio analogiam praebere medium demonstrationis analogicae.*

Talis enim est demonstratio quale est *medium.* Atqui terminus analogus et potest et debet esse medium demonstrationis [1]. Ergo analogia constituit vel fundat demonstrationem analogam. Propterea ergo illa scientia in qua obiectum *formale* est *analogum,* sicut Metaphysica, habet omnes demonstrationes *formales* analogas, et idem accidit in Sacra Theologia prout est in nobis viatoribus. Qui ergo cum Scoto negant terminum analogum constituere posse *medium* demonstrationis, radicaliter etiam negare debent Sacram Theologiam esse scientiam (quod et ipse expresse affirmavit) et pariter funditus evertere debent Metaphysicam, quam identificare tenentur cum Sophistica (nominalismus). Unde qui hanc doctrinam non bene penetrarunt, nihil formaliter intelligere queunt de Summa Theologica S. Thomae nec de Metaphysica Aristotelis, ubi *perpetuo,* sive explicite sive implicite, adhibetur *medium analogum* [2].

---

[1] Nam, ubicumque salvatur primum principium demonstrationis, potest dari demonstratio. Hoc autem principium est principium contradictionis, quod salvatur etiam in termino analogo. «Contradictio enim dicitur consistere in affirmatione et negatione *eiusdem de eodem*... et *non* in affirmatione et negatione *univoci de eodem univoco; identitas* siquidem tam *rerum* quam *rationum*, ut pluries replicatum est, ad *identitatem proportionalem se extendit*» (CAIETANUS, *opusc. cit.*, cap. 10, p. 277). [Cf. et S. ALBERTUM MAGNUM, t. 31, p. 81; S. THOMAM, *III Sent.* 39, a. 2, qla. 1, n. 37 et 40; AMMONIUM, *l. c.*, p. 8].

[2] De facto enim, quia sublata analogia, non datur medium inter univocationem et aequivocationem, necesse est quod, negantes analogiam inter Deum et creaturam, *aut* aequivocationem profiteantur (agnosticismus) *aut* univocitatem (antropomorphismus), et utraque tendentia ex eadem positione Scoti processit, quibusdam negantibus possibilitatem scientiae theologicae, quibusdam vero usque adeo exaggerantibus, ut demonstrabilitatem mysteriorum fidei docerent, et ita conclusio theologica ex se sola esset de fide ante definitionem Ecclesiae. Hoc autem non sequebatur *formaliter* ex *nominalismo*, sed *ex nominalistis* quatenus simul erant *realistae exaggerati*, id est, *non ratione nominalismi*, sed *ratione realismi cum quo in nominalistis per accidens* erat coniunctus.

Aristoteles ipse, scientiae demonstrativae parens et magister, expresse agnoscit legitimitatem *medii analogici* [1]; sed multi falluntur quaerentes conclusionem *univocam* ubi non nisi *analoga* haberi potest, quia talis debet esse conclusio quale est medium. Jure igitur Cajetanus scribit quod «*unitas* (et consequenter ens et esse) analogi non esset in coordinatione *unitatum* numeranda, nisi unum proportionaliter unum esset *affirmabile* et *negabile*, et consequenter *distribuibile* et *scibile*, ut *subiectum* et *medium* et *passio*» [2].

---

[1] ARISTOTELES, *II Post*, XIII, 3 (I, 167, 48-49), XIV, 8 (I, 169, 24-25). Cf. S. THOMAM *in II Post.*, lect. 17, nn. 4-5 et lect. 19, n. 3.

[2] CAIETANUS, *Opusc. cit.*, cap. 10, p. 276.

CAPUT II

PROPRIETATES SPECIALES ANALOGIAE

745. Sicut proprietates generales sequebantur ex notione generali analogiae, ita speciales sequi debent ex notione singulorum modorum eius. Hi autem principaliter sunt modus attributionis et modus proportionalitatis, et ideo utriusque singulae proprietates sunt separatim perscrutandae.

Art. 1.- Proprietates Analogiae attributionis.

746. Recolatur quod in analogia attributionis forma analoga invenitur intrinsece et formaliter in uno tantum, quod vocatur famosum vel primum analogatum[1] et propterea dicitur etiam quod analoga, quae hac analogia

[1] Cf. S. Thomam, I, 16, 6. Aristoteles vocat τὸ πρωτον καὶ κυριως, *IV Metaph.*, IV, 6 (II, 517, 46-47), V, 6 (II, 518, 32-33).

nominantur, sunt eadem secundum terminum et diversa secundum habitudines ad illum [1].

747. Ex hoc enim sequitur *primo* quod *forma illa analoga est una numero, et non solum una ratione*; quia invenitur tantum in summo analogato, quod est unum numero. Unde S. Thomas scribit: «sciendum quod illud unum, ad quod diversae habitudines referuntur in analogicis, est *unum numero et non solum unum ratione*, sicut est unum illud quod per nomen univocum designatur. Et ideo dicit (Aristoteles) quod ens, etsi dicatur multipliciter, non tamen dicitur aequivoce, sed per respectum ad unum, non quidem ad unum quod sit solum ratione unum, sed quod est unum sicut una quaedam natura» [2]. Et rursus dicit «quod quando aliquid ex uno derivatur in alterum, sicut ex causa agente univoca, tunc aliud est quod est in utroque, sicut cum calidum calefacit alius numero est calor calefacientis et calor calefacti, licet idem sit in specie. Sed quando aliquid derivatur ab uno in alterum secundum analogiam vel proportionem, tunc est tantum *unum numero*, sicut a sano quod est in corpore animalis derivatur sanum ad medicinam et urinam, nec alia sanitas est medicinae et urinae quam sanitas animalis, quam medicina facit et urina significat. Et hoc modo a bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris et e converso, scilicet secundum ordinem unius ad alterum» [3].

748. Sequitur *secundo* quod *forma illa supremi analogati poni debet in definitione omnium analogatorum inferiorum*; quia *definitio* sumitur *a forma* et ideo *id* quod est tale *formaliter* poni debet in definitione caeterorum, quae sunt talia *denominatione* tantum.

Ad rem iterum S. Thomas: «in omnibus nominibus quae de pluribus analogice dicuntur, necesse est quod

---

[1] Cf. S. Thomam, *In XI Metaph.*, lect. 3, n. 2196, *IV Metaph.*, lect. 1, n. 535 et Caietanun, *De Nominum analogia*, cap. 2, p. 257.
[2] S. Thomas, *IV Metaph.*, lect. 1, n. 536.
[3] I-II, 20, 3 ad 3. [Cf. *I Sent.*, 19, 5, 2, obi. 1].

omnia dicantur per respectum ad unum; et ideo *illud unum oportet quod ponatur in definitione omnium.* Et quia ratio quam significat nomen est definitio, ut dicitur in IV Metaphysic., necesse est quod illud nomen per prius dicatur de eo quod ponitur in definitione aliorum et per posterius de aliis secundum ordinem quo appropinquant ad illud primum, vel magis vel minus, sicut sanum quod dicitur de animali cadit in definitione sani quod dicitur de medicina, quae dicitur sana in quantum causat sanitatem in animali, et in definitione sani quod dicitur de urina, quae dicitur sana in quantum est signum sanitatis animalis» [1]. Et alibi: «univocorum est omnino eadem ratio; aequivocorum est omnino diversa ratio; *in analogicis vero oportet quod nomen secundum unam significationem acceptum ponatur in definitione eiusdem nominis secundum alias significationes accepti*, sicut ens de substantia dictum ponitur in definitione entis secundum quod de accidente dicitur, et sanum dictum de animali ponitur in definitione sani secundum quod dicitur de urina et de medicina; huius enim sani, quod est in animali, urina est significativa et medicina factiva» [2].

749. Demum sequitur *tertio* quod *nomen illud analogum simpliciter prolatum stat pro famoso analogato*; quia unumquodque denominatur per suam formam, et ideo, quod habet formam *simpliciter*, denominatur *simpliciter* tale, sicut quando Aristoteles nominat Philosophiam sine addito, intelligit Metaphysicam, quae est Philosophia Prima, id est, summum analogatum philosophiae. Unde et huiusmodi suprema analogata *antonomastice* dicuntur talia; quia ut observat S. Thomas, «id quod communiter multis convenit *antonomastice attribuitur ei cui per excellentiam convenit*, sicut nomen *fortitudinis* vindicat sibi illa virtus quae circa *difficillima firmitatem*

---

[1] I, 13, 6.
[2] I, 13, 10.

animi servat, et *temperantiae* nomen vindicat sibi illa virtus quae *temperat maximas delectationes*»[1].

Et adverte gradationem quae huiusmodi proprietates ordinate se consequuntur, quia enim *nomina* sunt signa conceptuum et *conceptus* sunt signa *rerum*, ideo, ex eo quod in analogia attributionis *forma* non est proprie nisi in summo analogato, sequitur quod illud tantum simpliciter *intelligatur* et simpliciter *nominetur*.

Art. 2.- Proprietates analogiae proportionalitatis

750. *Similes proprietates sequuntur ex analogia proportionalitatis*, quia haec analogia, ut ex dictis patet, similis est illi secundum proportionem. Quia ergo forma analoga, secundum quam analogia haec et analogatio eius sumuntur, est intrinsece et formaliter in omnibus analogatis de quibus dicitur, infertur *primo* quod *forma illa formaliter sumpta non est una numero, sed una proportione seu ratione*. Quapropter S. Thomas, post Aristotelem, docet huiusmodi analoga reduci debere in *unam rationem*[2] vel in aliquid *commune*, κοινόν[3], *universaliter sumptum* καθόλου[4]. Unde in huiusmodi analogia *formaliter* loquendo *non datur aliquod supremum analogatum*

1 II-II, 186, 1. Et addit alibi: «secudum *consuetudinem humanae loqutionis*, aliqua nomina *communia restringuntur* ad ea quae sunt *praecipua* inter illa quae *sub tali communitate* continentur, sicut nomen *Urbis* accipitur *antonomastice* pro Roma» (II-II, 141, 2). *Per accidens* tamen seu ratione *adiuncti* potest nomen *simpliciter* supponere pro eo quod, *secundum rem*, per posterius dicitur, ut docet ipsemet S. Doctor his verbis: «*simpliciter* dictum intelligitur *quandoque* de eo quod per posterius dicitur, *ratione alicuius adiuncti*, sicut *ens in alio* intelligitur *accidens*; et similiter *vita*, ratione eius quod *adiungitur* sc. *liber*, intelligitur de *vita creata*, quae per posterius *vita* dicitur» (*De Verit.*, 7, 5, ad 3). Unde proprietas illa, ut par est, intelligenda est *per se*; scientis enim non curat de his quae sunt per accidens.

2 *X Metaph.*, lec. 1, n. 1932.

3 Aristoteles, *IV Metaph.*, I, 4 (II, 514, 42), III, 5 (II, 517. 5). Cf. S. Thomam, *In V Metaph.*, lect. 1, n. 761; lect. 4, n. 807.

4 Aristoteles, *IV Metaph.*, VI, 9 (II, 516, 54).

unum numero, sicut in analogia attributionis, sed loco eius stat *forma communis analoga una ratione*, quae ideo non habet nisi superioritatem rationis analogicae supra omnia analogata sub ipsa contenta.

751. *Secundo* infertur quod, *formaliter* loquendo, *in hac analogia primum analogatum non ponitur in definitione caeterorum*, sicut in analogis attributionis, quia *formaliter* loquendo in hac analogia *non datur primum analogatum formaliter et intrinsece tale*; quod autem *non est* poni nequit in definitione analogorum quae *sunt*. Ergo (*formaliter* semper loquendo) quod primum analogatum ponatur in definitione caeterorum non est proprietas generalis analogiae ut sic, quemadmodum opinatur Ferrariensis[1], cui nuperrime adhaeret Cl. Blanche[2], sed *specialis analogiae attributionis tantum*, ut tenent Caietanus[3] et plerique thomistarum[4], quia habere tale primum analogatum non est de ratione analogiae ut sic.

752. Quia tamen quaestio haec maioris est momenti, liceat uberius enucleare. Duae sunt rationes in favorem oppositae sententiae: *prima*, egregie proposita a Cl. Blanche[5], sumitur *ex natura ipsa analogiae*, quae essentialiter dicit *prius et posterius* et consequenter includit ordinem quemdam; ordo autem essentialiter postulat semper aliquod primum principium respectu cuius talis sit. Atqui principium ordinis semper poni debet in definitione omnium ordinatorum sub ipso, quatenus formaliter sunt ordinata.

1 F. Ferrariensis, *Comment. in I Contra Gent.*, cap. 34, edit. cit., t. I, pp. 222-226; cf. etiam in cap. 33, p. 215.

2 A. Blanche, *La notion d'analogie dans la philosophie de S. Thomas d'Aquin*, apud «Revue des Sciences philosophiques et théologiques», avril 1921, p. 183 sqs.

3 Caietanus, *De analogia nominum*, cap. 2, p. 253 et cap. 7, pp. 268-270.

4 Non recordor me legisse aliquem thomistam alicuius ponderis adhaerentem Ferrariensi.

5 A. Blanche, *Loc. cit.*, p. 183 sqs. [Cf. S. Thomam, *De natura accidentis*, cap. 1, p. 330].

Altera, subtiliter evoluta a Ferrariensi[1] et commentata a praedicto Blanche[2], accipitur ex eo quod videtur esse *magis ad mentem S. Thomae*. Sic enim salvantur omnia dicta eius sumpta in sensu obvio et optime intelligitur quare indifferenter eadem exempla adhibeat, modo pro analogia attributionis, modo pro analogia proportionalitatis, quin necesse sit contradictionem aut retractationem in verbis eius ponere[3]. *Nullam enim exceptionem* admittere videtur S. Doctor, cum dicat expresse quod *in omnibus* nominibus quae de pluribus *analogice* dicuntur *necesse est* quod omnia dicantur per respectum ad unum et quod illud unum oportet quod ponatur in definitione omnium[4]; et hoc quidem non iam in *Summa Theologica* tantum asseruit, verum etiam inde ab initio in *Sententiis*[5]. Ergo *formaliter* intelligendo S. Thomam, dicendum est quod per primum analogatum caetera analogata definiuntur, de quocumque demum analogiae modo sermo fiat.

753. His tamen non obstantibus, nobis contrarium videtur asserendum. Et sane, certum est quod analogia semper dicit prius et posterius, quia essentialiter importat inaequalitatem, et consequenter *ordinem et principium ordinis*; sed principium illud *primum* potest esse *duplex*: aut *unum numero*, quod est unum simpliciter, aut *unum proportione seu ratione*, quod est unum secundum quid, nam etiam *principium primum* est quid *analogatum*, et idcirco *multipliciter* sumitur. Analogia autem *a neutro abstrahit*, sed *utrumque includit, diversimode* tamen; nam in analogia *attributionis* illud primum est *unum numero*, in analogia vero *proportionalitatis* est *unum ratione seu proportione* [Cf. *II Sent.*, d. 13, q. 1, a. 2; *Q. de anima*, a. 7].

---

[1] F. Ferrariensis, *Loc. cit.*, p. 227 sqs.
[2] A. Blanche, *Loc. cit.*, pp. 188-193.
[3] A. Blanche, *loc. cit.*, pp. 186, 188, 190.
[4] S. Thomas, I, 13. 6.
[5] *I Sent.* prol., q. 1, art. 2, ad 2.

Est autem magna differentia attendenda inter utrumque principium; nam illud quod est unum numero non includitur in caeteris sub ipso positis, sed caetera includuntur in ipso, ad quod *formaliter* nonnisi *purum respectum* dicunt; et ideo caetera definiuntur per ipsum, ipsum autem per alia non definitur: illud vero quod est unum proportione, et includit essentialiter caetera et caetera includuntur in ipso, et ideo non plus ipsum definit reliqua quam reliqua definiant ipsum, sed in hac analogia singula singulis *proportionaliter* definiuntur (vel potius *explicantur*) et omnia omnibus, quia singula sunt proportionaliter singula et omnia proportionaliter sunt omnia.

Non ergo oportet analogiam *univoce* intelligere, sed *analogice*; intelligeretur autem *univoce*, si illud *primum uno modo* sumeretur in omnibus, quia tunc *univoce* fieret resolutio *modorum analogorum analogiae* in principium eius, et hoc esset *analogiam in univocitatem convertere*. Unde *nego suppositum*, quod scilicet *in omni modo* analogiae dari debeat aliquid primum *simpliciter unum*.

754. Et de facto S. Thomas admittit quod proportio et consequenter analogia, quae idem est, esse potest aut unius vel plurium *ad unum*, aut plurium *ad plura*, ut constat ex dictis dum de divisione analogiae loqueremur. Patet autem quod plura non possunt esse unum nisi proportione et ratione, et hoc unum *non est idem* ac *unum* praecedens, quia tunc S. Doctor non posset in illis fundare *diversos modos* analogiae.

Quia ergo unumquodque resolvitur *formaliter* in suam *formam*, a qua *formaliter* definitur, necesse est quod, sicut unumquodque se habet ad suam formam, ita se habeat ad suam definitionem. *Forma* autem analogiae *attributionis* est *una numero* et per ipsam *formaliter* constituitur *supremum analogatum*, a quo in caetera analogata *extrinsece* descendit, quae et *extrinsece* definiuntur per ipsum et resolvuntur in ipsum; sed in analogia

proportionalitatis forma est *una ratione vel proportione*, et per ipsam *proportionaliter* sumptam unumquodque analogatum *intrinsece* constituitur, et ideo *intrinsece* resolvitur in seipsum prout stat sub forma communi analoga, et pariter intrinsece et formaliter definitur per formam illam prout intrinsece et formaliter est in seipso, cum quo tamen stat quod definitio et resolutio unius sit proportionaliter definitio et resolutio alterius.

755. Et ex hoc patet iam responsio *ad secundum argumentum*. Oportet enim intelligere et interpretari verba S. Thomae formaliter et prout sunt in suo contextu. Porro in textu illo citato ex I, q. 13, art. 6, ita loquitur S. Doctor: «*in omnibus* nominibus, quae de pluribus analogice dicuntur, *necesse est* quod *omnia dicantur* per respectum *ad unum*; *et ideo* illud unum *oportet* quod ponatur *in definitione omnium*». Iam vero, ita oportet intelligere posteriora verba sicut priora, quia se consequuntur, ut patet per particulam illativam *ideo*. Sed *priora non intelliguntur universaliter de omni modo analogiae*, sed de analogia *attributionis tantum*, ut patet ex exemplo ibidem inducto de sanitate et ex locis parallelis statim adducendis et ex modo dictis de supremo analogato. *Ergo etiam posteriora verba de definitione analogorum restringenda* sunt ad analogiam *attributionis* et *non* debent *extendi* ad analogiam *universaliter*.

Imo in contraria positione non solum non salvatur S. Thomas, sed in aperta contradictione formali deprehenditur. En eius verba:

«*In omnibus* nominibus quae de pluribus *analogice* dicuntur, *necesse est* quod *omnia* dicantur per respectum *ad unum; et ideo* illud unum *oportet* quod ponatur *in definitione omnium*. Et quia *ratio* quam significat nomen est *definitio*, ut dicitur in IV Me-

«*In omnibus analogis* ita *est*, quod *vel unum* ponitur *in definitione alterius*, sicut ponitur substantia *in definitione* accidentis et actus *in definitione* potentiae, vel *aliquid idem* ponitur *in definitione utriusque, sicut sanitas animalis* ponitur *in definitio-*

taph., *necesse* est quod illud nomen per prius dicatur de eo quod ponitur in *definitione* aliorum et per posterius de aliis secundum ordinem quo appropinquant *ad illud primum* vel magis vel minus. *Sicut sanum*, quod dicitur de *animali, cadit in definitione* sani quod dicitur de *medicina*, quae dicitur sana in quantum causat sanitatem in animali, et *in definitione* sani quod dicitur de *urina*, quae dicitur sana in quantum est signum sanitatis animalis» (I, q. 13, art. 6).

ne sani quod dicitur de *urina* et *cibo*, quorum alterum est conservativum, alterum significativum sanitatis. Sed creatura et Deus *non hoc modo* se habent, *neque* quod *unum* ponatur *in definitione alterius, neque* quod *aliquid idem* ponatur *in definitione utriusque* eo quod sic Deus *definitionem* haberet. Ergo videtur quod *nihil secundum analogiam* dici possit de Deo et creaturis, et ita restat quod pure aequivoce dicatur quidquid de eis communiter dicitur» (*De Verit.*, q. 2, art. 11, object. 6).

«*Ad sextum* dicendum, quod ratio illa procedit *de communitate analogiae*, quae accipitur *secundum determinatam habitudinem unius ad alterum*; tunc enim *oportet* quod *unum in definitione alterius ponatur*, sicut substantia *in definitione* accidentis, *vel aliquid unum in defnitione duorum* (aut *plurium*), ex eo quod *utraque* dicuntur per habitudinem *ad unum*, sicut substantia *in definitione* quantitatis et qualitatis».

Ecce manifesta est identitas *formalis* doctrinae *in maiori* obiectionis *De Verit.* et in corpore articuli *Primae Partis Summae Theologicae*. In responsione autem S. Doctor *concedit* obiectionem, si fiat sermo de analogia *proportionis vel attributionis*; *negat* autem, si intelligatur de analogia *proportionalitatis*. Respondet ergo Angelicus secundum distinctionem analogiae explicatam in corpore articuli, et reprehendit arguentem quod extendat ad omnem analogiam, seu ad analogiam ut sic, id quod est proprium unius modi tantum, seu quod non distinguat ea quae distinguenda sunt. Ita ergo *in forma* responderet Aquinas: *dist. maiorem*; in omnibus analogi-

cis... *attributionis* vel proportionis, *conc.*, in omnibus analogicis... *ut sic vel* etiam *proportionalitatis, nego.*

Conc. minorem et *contradis. concl.*; nihil secundum analogiam... proportionis seu *attributionis purae, conc.*, nihil secundum analogiam *attributionis mixtae*, quae *proprie* et *formaliter* est analogia *proportionalitatis, nego.*

Nec valet dicere cum Ferrariensi[1] quod S. Thomas loquutus est de analogia *absolute*, hoc enim idem est ac ponere quod loquutus est *materialiter*[2], et quia obiectio erat *formalis*, sequeretur quod S. Doctor *non respondit ad obiectionem.* Unde non S. Thomas *materialiter* loquutus est, sed Ferrariensis ipse *materialiter* intellexit S. Doctorem.

At veritas aliter se habet; certissime enim Aquinas loquutus est in *obiectione* illa de analogia *attributionis*, ut constat ex exemplis quae adhibet et ex subdivisionibus propriis analogiae attributionis ibidem inductis. Aliunde aperta est identitas formalis doctrinae hic, *in maiori*, et in Prima Parte. Sed hic restringit *explicite* proprietatem illam ad analogiam attributionis. Ergo etiam ibi est restringenda.

Quod autem addit A. Blanche[3] ita melius apparere unitatem doctrinae S. Thomae in suo processu historico, quia *in Sententiis* idem docuerat, et consequenter in Prima Parte non retractasse id quod scripserat in *de Veritate*, difficultatem non tollit. Audiatur enim ipse S. Doctor:

«Creator et creatura reducuntur *in unum*, non communitate univocationis, sed *analogiae*; talis autem communitas potest esse *dupliciter*: *aut* ex eo quod *aliqua* participant aliquid *unum* secundum prius et posterius, sicut potentia et actus rationem entis, et similiter substantia et accidens; *aut* ex eo quod *unum esse et rationem ab altero*, recipit, et *talis est analogia creaturae ad Creatorem*; c r e a t u r a enim *non habet esse*, nisi secundum *quod a primo ente descendit*; unde nec *nominatur ens*, nisi in quantum *primum ens imitatur*, et *similiter* est de sapientia et *de omnibus aliis* quae de creatura dicuntur» (*I Sent.*, prol., q. 1, at. 2, ad 2).

«Licet *habitudo ad causam non intret definitionem entis*, *q u o d est causatum*, tamen *sequitur ad ea quae sunt de eius ratione*; quia ex hoc quod aliquid *per participationem est ens, sequitur quod sit causatum ab alio. Unde huiusmodi ens non potest esse quin sit causatum*, sicut nec *homo* quin sit *risibilis*; sed quia esse causatum *non est de ratione entis simpliciter*, propter hoc invenitur aliquod ens non causatum» (I, 44, 1, ad 1).

«*Esse ab alio causatum non competit enti in quantum est ens, alias omne ens esset ab alio causatum*, et sic oporteret procedere in infinitum in causis, quod est impossibile» (*II Contra Gent.*, c. 52, 4 arg.).

[1] F. FERRARIENSIS, *loc. cit.*, pp. 225-226.

[2] Quia *materialiter* id quod est analogum potest sub alio respectu esse univocum, ut optime explicat ipse FERRARIENSIS, ibd., pp. 222-225.

[3] A. BLANCHE, *loc. cit.*, p. 192.

Haec apparens contradictio faciliter explicatur in nostra sententia; nam *ens* dicitur analogice de Deo et de creaturis *duplici analogia*: *attributionis* et *proportionalitatis*, quae *materialiter* seu gratia materiae in casu nostro *idem sunt*, sed *formaliter* sunt *diversae*; in *Sententiis* ergo S. Thomas loquebatur de analogia secundum formalitatem *attributionis*, ut patet ex toto contextu responsionis et ex verbis obiectionis cui respondet et similiter ex aliis locis parallelis[1], et ideo nec ens nec consequenter caetera omnia quae ad ens consequuntur definiri et nominari possunt absque *Summo analogato*, quod est *Primum Ens*; in *Summa* vero *Theologica* loquitur de analogia secundum formalitatem *proportionalitatis*, et consequenter negat Deum ingredi definitionem entis creati quatenus ens est.

Et re quidem vera, hoc quod dico *ens* duo significare potest: *essentiam* et *esse*, secundum quod sumitur aut *nominaliter* aut *participialiter*[2]. In primo casu *ens* est

[1] Cf. S. THOMAM, v.gr., I, 1, 3, ad 1 et 7 corp. et ad 2; *in Boët. de Trinit.* q. 5, art. 4, ad 8; *II Contra Gent.*, cap. 4.

[2] Cf. *Quodlib. II*, art. 3; CAIETANUS, *In de Ente et Essentia*, cap. 4, p. 87; FERRARIENSIS, *In I Contra Gent.*, cap. 25, edit. cit. t. I, pp. 163-164.

praedicatum *essentiale* respectu omnium et *in omnibus intrinsece imbibitur*; si ergo nomen *ens* dictum de Deo et de creaturis sumatur in hoc sensu, dicitur de illis analogice analogia proportionalitatis, et tunc *neutrum definit reliquum formaliter*. In altero vero casu *ens* est praedicatum *essentiale* respectu *Dei tantum*, cum *esse* sit *intra* essentiam *Dei* et *extra* essentiam *creaturae*, respectu cuius est praedicatum *accidentale* et *extrinsecum*; unde si hoc nomen *ens* hoc secundo sensu accipiatur, tunc dici debet de Deo et creaturis analogice analogia *attributionis*, et ideo in definitione creaturae quatenus denominatur ab *esse* poni debet *habitudo* ad *Ipsum Esse Subsistens* quod Deus est. Unde ipse S. Doctor ita conceptis verbis scripsit: «licet *causa prima*, quae *Deus* est, *non intret essentiam rerum creaturarum*, tamen *esse* quod rebus creatis *inest*, *non potest intelligi nisi ut deductum ab esse divino*, sicut nec *proprius effectus* potest intelligi nisi ut deductus a *causa propria*»[1].

Ex quo patet sensus *formalis Sententiarum*, ubi loquitur de ente ut dicit *esse*; ait enim expresse quod «creatura non habet *esse* nisi secundum quod a *Primo Ente* descendit»; *descendere* autem a Primo Ente idem est ac *deduci* ab *Esse divino*; in *Summa* vero non loquitur *formaliter* nisi de *essentia creata*, in cuius definitione non ingreditur *esse*. Quia tamen essentia dicit ordinem ad *esse*, ideo *esse consequitur* ad essentiam; ex quo necessario *sequitur* essentiam creatam esse *ens per participationem*, in *cuius definitione* ingreditur *habitudo* ad ens per essentiam, et in hoc stat responsio S. Thomae[2].

---

[1] S. Thomas, *De Potentia*, 3, 5, ad 1.

[2] Audiatur ipsemet S. Doctor in alia simili quaestione: «dicendum quod *tria* sunt *genera accidentium*; *quaedam* enim causantur ex principiis *speciei*, et dicuntur *propria*, sicut *risibile* homini; *quaedam* vero causantur ex principiis *individui*, et hoc dicitur quia *vel* habet causam *permanentem in subiecto*, et haec sunt *accidentia inseparabilia*, sicut masculinum et femeninum et alia huiusmodi; *quaedam* vero habent causam *non permanentem in subiecto*, et haec sunt *accidentia separabilia*, ut sedere et ambulare. Est autem *commune omni accidenti* quod *non sit de essentia rei*, et ita *non cadit in definitione rei*; unde

Unde licet essentia creata sit res quae est causata, tamen essentia illa ut essentia non importat habitudinem ad causam, nisi ex consequenti, quatenus nempe dicit ordinem ad esse, et, cum non sit suum esse, oportet quod sit ens per participationem, et sic simul cum *esse* participatur *essentia*, nam «*ex hoc ipso* quod quidditati *esse* attribuitur, non solum *esse*, sed *ipsa quidditas creari dicitur*»[1].

Ex quo aut aegre intelligitur *quare S. Thomas eadem exempla indifferenter pro diversis analogiis adhibeat*, quia *eadem res*, puta ens, potest utramque analogiam suscipere, non autem quia existimet quod definitio caeterorum analogatorum ab uno supremo sit proprietas generalis analogiae, ut opinatur Cl. Blanche[2]; communitas enim illa non se tenet ex parte *analogiae*, sed ex parte

---

de re *intelligimus quod quid est absque* hoc quod *intelligamus aliquid accidentium eius*. Sed *species non potest intelligi sine accidentibus* (propriis) quae *consequuntur principium speciei*; *potest tamen* intelligi *sine accidentibus individui* etiam inseparabilibus; *sine separabilibus* vero *esse* potest *non solum species, sed et individuum*. Potentiae vero animae sunt accidentia sicut *proprietates*. Unde, licet *sine illis intelligatur quid est anima, non autem sine eis esse est possibile neque intelligibile*» (*Q. dispp. de Anima*, art. 12, ad 7).

Et alibi: «*duplex* est *operatio intellectus*, sicut dicitur in III de Anima; *una* qua intelligit quod *quid* est, et *tali operatione* intellectus *potest intelligi essentia rei et sine proprio et sine accidente*, cum *neutrum* eorum *ingrediatur rei essentiam*, et sic procedit ratio; *alia* est operatio intellectus *componentis et dividentis*, et sic *potest* substantia intelligi *sine accidentali praedicato*, etiamsi secundum rem sit inseparabile, sicut potest intelligi corvus esse albus; *non enim est ibi repugnantia intellectuum*, cum *oppositum praedicati non dependeat ex principiis speciei*, quae signatur nomine in subiecto posito. *Hac vero operatione intellectus non potest intelligi substantia sine proprio*; non enim potest intelligi quod *homo non sit risibilis* vel triangulus non habeat tres angulos duobus rectis aequales, hic enim est *repugnantia intellectuum*, quia oppositum praedicati dependet ex natura subiecti. Sic igitur *potest* intelligi *prima operatione* intellectus *essentia animae*, ut scilicet intelligatur quod *quid* est, *absque potentiis*; *non autem secunda operatione*, ita scilicet quod *intelligatur non habere potentiam*» (*De Spiritualibus creaturis*, art. 11, ad 7: Cf. etiam *Summa totius Logicae Aristotelis*, tract. 1, cap. 8, edit. Desclée, 1913, t. I, pp. 16-17).

[1] *De Potentia*, q. 3, art. 5, ad 2.

[2] A. Blanche, *loc. cit.*, p. 186.

analogi; non *formaliter*, sed *materialiter* seu gratia materiae.

756. Quae cum ita sint, omnino retinenda videtur sententia Caietani et aliorum thomistarum, utpote *magis vera secundum se et magis ad mentem S. Thomae.* Acute siquidem magnus ille metaphysicus distinguit inter actum signatum et actum exercitum et inter prioritatem rei (essendi) et *impositionis nominis* (cognoscendi); quo fit ut, non unum alterum definiat[1], sed unum altero *declaretur* et *exponatur*, sicut Aristoteles docuit *explicare* potentiam et actum per *inductionem* quandam et per *deductionem* ad sensum, et S. Thomas profunda verba illa, characteribus aureis digna, scripsit: «quia *primum principium nostrae cognitionis est sensus, oportet* ad sensum *quodammodo* resolvere *omnia* de quibus iudicamus; unde Philosophus dicit in III Coeli et Mundi quod complementum artis et naturae est *res sensibilis visibilis*, ex qua debemus de aliis iudicare; et similiter dicit in VI Ethic. quod sensus sunt extremi, sicut intellectus principiorum, *extrema appellans ea in quae fit resolutio iudicantis*»[2].

757. Notandum est tamen quod, quia *completa et undequaque perfecta definitio* complectitur *totum id quod est in re*, ideo si velimus definire ens creatum secundum *totam suam realitatem*, id est, ut complectitur *essentiam* et *esse*, deberemus ponere in eius definitione habitudinem ad Deum, et in hoc sensu merito concludit Bañez: «in analogis attributionis quae non important formalem habitudinem ad unum, sed tantum *fundamentalem*[3], in definitione analogati minus principalis *non*

---

[1] CAIETANUS, *De Analogia nominum*, cap. 7, pp. 269-270 et *In I*, q. 13, art. 6, n. 4 et 12.

[2] S. THOMAS, *De Veritate*, 12, 3, ad 2. Cf. *ibid.*, ad 3.

[3] Cf. etiam CAIETANUM, *In I*, q. 13, art. 6, n. 4. Tunc enim sunt analoga attributionis mixtae cum analogia proportionalitatis, ad quam simpliciter pertinent, et non nisi secundum quid participant de analo-

necessario ponitur principalius analogatum. Et huius generis sunt omnia nomina quae proprie dicuntur de Deo et creaturis.

Sed est advertendum quod istud... dictum debet *limitari* ad definitionem quae datur *per immediatum genus et differentiam*; nam, si haec analogata minus principalia definiantur *exactissime* a prima potentia usque ad ultimum actum, *necessarium est omnino* quod in eorum definitione ponatur analogatum principalius; v. gr., potest quis definire albedinem per immediatum genus, videlicet: color disgregativus visus, in qua definitione *non ponitur substantia.*

At, si explicatur *totaliter* natura albedinis, *necessario est ponenda substantia* in eius definitione, *usque ad rationem accidentis*, quae non potest explicari nisi *per ordinem ad substantiam.* Ita *similiter* est dicendum de sapientia et de aliis nominibus Dei»[1].

---

gia attributionis. Ergo non nisi per accidens et in obliquo in illis ut sic consideratur supremum analogatum unum numero quod poni debeat in eorum definitione: et ideo recte dicit egregius theologus quod *non necessario* unum definit reliqua, sed *contingenter*, licet aliunde et gratia materiae *necessario*, imo et *omnino necesario* ita fieri debeat; nam pars *materialis* est etiam pars *rei*; unde si *tota res totaliter* definiri debeat, *necessario* ponendum est in eius definitione id quod est *formale* et id quod est materiale. [Cf. S. THOMAM, *I Sent.* d. 27, q. 2, a. 2, qla. 1].

[1] D. BAÑEZ, *Comment. in I*, q. 13, art. 6 concl. 3, col. 293. Adverte etiam quod in analogia proportionalitatis *metaphoricae* proportio *propria* ponitur in *definitione* proportionis *metaphoricae*, ut docet ipse S. THOMAS (I, 13, 6 et 10), et luculentius CAIETANUS scribens: «in analogia siquidem secundum metaphoram oportet unum in alterius definitione poni *non indifferenter*, sed *proprie* sumptum *in ratione sui metaphorice* sumpti claudi necesse est, quoniam *impossibile* est *intelligere* quid sit aliquid secundum *metaphoricum* nomen non cognito illo *ad cuius metaphoram dicitur*. Neque enim fieri potest ut intelligam quid sit *pratum* in eo quod *ridens*, nisi etiam quid significet *risus* nomen *proprie* sumptum, *ad cuius similitudinem* dicitur pratum ridere. Est autem huius *ratio radicalis*, quia analogum *metaphorice* sumptum nihil aliud praedicat quam hoc se habere *ad similitudinem illius*, quod absque altero extremo intelligi nequit. Et propter hoc huiusmodi analoga *prius* dicuntur de his in quibus *proprie* salvantur et *posterius* de his in quibus *metaphorice* inveniuntur, et *habent in hoc affinitatem cum analogis secundum attributionem*, ut patet» (*De Ana-*

Nec mirum; quia enim *maior* est unitas numerica quam unitas proportionalis, necesse est hanc in illam finaliter resolvere; et pariter, quia *prius* est *secundum rem* ens abstractum abstractione *formali* quam ens abstractum abstractione *totali*, oportet omnia quaecumque resolutionem *ontologicam* in ens hoc modo abstractum susceperunt, *ulterius* resolvi resolutione *theologica* in ens abstractum primo modo, quod est *Ipsum Esse per essentiam*, et consequenter, *in actu exercito*, *summum analogatum simpliciter in linea entis*.

Quae resolutio, licet aliqualiter habeatur in Theologia naturali, maxime tamen obtinetur in Sacra Theologia, ubi omnia considerantur in Deo et ut aliquid Dei, et ideo theologus in omnium definitione formaliter theologica ponit Deum ipsum, quia tunc fit consideratio secundum analogiam attributionis mixtae cum analogia proportonalitatis, cum qua ibi materialiter coincidit.

Sed haec potius ad analogiam in actu exercito spectant quam ad analogiam in actu signato, de qua formaliter quaestiones habemus.

758. Denique *ultima proprietas* analogiae proportionalitatis, quae ex praecedentibus sequitur, est quod *unumquodque analogatorum formaliter sumptum, denominat seipsum*, sicut unumquodque suam formam in se habet, a qua denominatio eius formalis desumitur. Unde nomen analogum simpliciter prolatum non plus stat pro uno quam pro altero, sed supponit pro omnibus indifferenter et proportionaliter, sicut hoc nomen *principium* non plus stat pro eo unde incipit linea vel motus vel vita vel domus, sed pro eo *unde aliquid qualitercumque incipit*.

---

logia Nominum, cap. 7, pp. 268-269; cf. etiam *In I*, q. 13, art. 6, n. 4).
Hoc tamen non obstat praecedentibus, quia ita definiri non convenit analogiae metaphoricae ratione proportionalitatis, sed *ratione metaphorae*, vi cuius magnam affinitatem habet cum analogia attributionis sumptae *secundum causalitatem exemplarem*, utraque enim fit *secundum similitudinem*; et insuper quia *metaphora completur in collatione cogitantis*, et in hoc iterum accedit ad analogiam attributionis. Cum quo tamen stat quod *fundamentaliter* termini unde sumitur proportio metaphorica habent suam proportionem, sicut termini proportionis propriae habent suam; non enim minus proportionis habet fortitudo leonis ad fortiter operandum opera sua, quam fortitudo hominis fortis ut fortiter sua operetur.
Nec S. Thomas dixit quod *unus terminus numero* ponitur in definitione aliorum metaphorice dictorum, sed quod *una proportio* ponatur in definitione *alterius proportionis*, et in hoc stat *analogia inter analogiam proportionalitatis metaphoricae et analogiam attributionis*, sed *non adest identitas utriusque*.

759. Sic ergo omnes proprietates analogiae possunt hoc schemate contrahi:

Proprietates analogiae

- **I) Generales**
  - A) *ontologicae:*
    - a) analogia ipsa est analoga; ergo
    - b) habet conceptum obiectivum seu universalitatem analogam, hoc est:
      - 1) habet abstractionem analogam;
      - 2) habet unitatem analogam.
  - B) *logicae:*
    - a) habet conceptum formalem analogum;
    - b) habet divisionem analogam;
    - c) praebet medium demonstrationis analogicae.
- **II) Speciales**
  - A) *analogiae attributionis:*
    - a) forma eius est una tantum numero, ergo
    - b) forma unius, sc. supremi analogati, ponitur in definitione omnium;
    - c) nomen analogum simpliciter prolatum stat pro illo uno.
  - B) *analogiae proportionalitatis:*
    - a) forma eius non est una numero, sed una proportione; ergo
    - b) forma unius non ponitur in definitione omnium;
    - c) nomen analogum simpliciter prolatum non supponit pro uno determinate.

760. Nunc autem superest ut lector ipse initium cum fine iungat videatque omnia sibi consona; tanta enim diversitas in sinu ipso analogiae reperta, quae quibusdam minus expertis scandalum praebere posset, est *signum veritatis* omnium hucusque dictorum, cum *analogia* dicat *diversitatem simpliciter* et ipsa analogia sit *analoga*, ita ut analogia simul *exerceat* in seipsa id quod ipsamet *significat*. *Significat* quidem sua definitione, *exercet* vero sua analogia.

Qui ergo *definitionem* et *analogiam* analogiae intime, ut par est, penetraverit, omnia clara luce prospiciet. Quod si nonnihil difficultatis supersit adhuc, *exercitio* vincetur, diversa analoga *in actu exercito* percurrendo et perscrutando, tum in *Metaphysica* Aristotelis, tum in *Summa Theologica* S. Thomae.

PARS ALTERA
DE USU ANALOGIAE

SECTIO PRIMA

DE ANALOGIA ENTIS

761. Superest ergo ut, secundum promissa [1], ad secundam partem problematis *de analogia entis* manum admoveamus, scilicet ad analogiam *in actu exercito.*

Quemadmodum fert titulus meditationis istius, *directe* intendimus loqui tantum *de analogia entis*, quae suprema est in ordine analogiarum et sine qua ceterae omnes analogiae, si quae sint, intelligi non queunt; *addemus* tamen breviter *nonnullas applicationes* ad *Philosophiam* et ad *Sacram Theologiam*, ut inde melius videatis universale momentum notionis huius.

Art. 1.- Applicatio generalis notionis analogiae ad ens in quantum ens

762. Problema hoc de analogia entis supponit vulgarem entis divisionem in ens reale et ens rationis, in substantiam et accidens, in Deum et creaturam, quae omnia ab omnibus indubitanter appellantur *entia*; et *unice* quaeritur *secundum quem modum* de illis diversis hoc nomen *ens* dicatur seu *quaenam sit ratio significata per hoc nomen* dictum in illis.

763. Qua quidem in re *triplex* philosophorum *sententia* recenseri potest: *Prima* extrema tenet significare rationem *omnino diversam*, ideoque hoc nomen *ens* esse *aequivocum*, quemadmodum sentiunt antiqui sophistae,

---

[1] [Videlicet in prima parte huius collationis, ubi praenotaverat auctor *notionem* ac *divisionem* analogiae in actu signato, quae hic superflue exscriberentur post amplissimam expositionem eiusdem subiecti in prima parte praesentis editionis, quarum ultima synthesis subsequenti sectione perspici potest. *Nota Editoris*].

nominalistae radicales medii oevii hodiernique agnostici; *altera* extrema docet e converso significare rationem *omnino eamdem* et consequenter esse *univocum*, sicut tradiderunt antiqui eleatici et platonici, Scotus et hodierni intuitionistae. Denique *media via* incedit Aristoteles et post ipsum S. Thomas docentes significare rationem *simpliciter diversam et secundum quid eamdem*, seu ens esse *analogum*; quae quidem sententia nobis omnino tenenda est utpote unice vera.

Haec autem veritas *dupliciter* constare potest: 1.°, *negative*, demonstrando absurdas esse contrarias sententias seu ens non esse aequivocum nec univocum, tunc enim necessario sequitur debere esse analogum; 2.°, *positive* ostendendo *analogiam* entis *ex propria* consideratione inferiorum in quibus imbibitur et de quibus diversimode praedicatur.

764. A) Argumentum *negativum* ita proponi potest: hoc nomen *ens*, dictum de suis inferioribus, vel est aequivocum vel univocum vel analogum. Atqui *non est* aequivocum neque univocum. Ergo est analogum.

Maior admittitur etiam ab adversariis, et *necessaria* est ex sufficienti divisione, ut ex dictis superiori meditatione constare potest.

Minor vero, in qua unice stat difficultas, probatur per partes:

765. *Primo, ens non est aequivocum*, quod patet, *tum* argumentis *generalibus* respicientibus ens ut sic, *tum* argumentis *specialibus* pro singulis inferioribus entis in quantum huiusmodi.

a) Et quidem argumentis *generalibus* procedentibus:

1) *ex consideratione absoluta entis et aequivocationis*, nam aequivoca dicuntur quorum nomen est idem, sed ratio significata per nomen est totaliter seu omnino diversa. Atqui ratio significata per hoc nomen *ens* non est totaliter seu omnino diversa. Ergo ratio significata per hoc nomen *ens* non est aequivoca, et ideo ens ipsum non est aequivocum.

Maior est ipsa definitio aequivocationis.

Probatur ergo *minor*: Ratio totaliter seu omnino diversa a ratione entis debet esse *totaliter extra* rationem entis. Atqui totaliter *extra* rationem entis non est nisi non-ens. Ergo ponere quod ratio significata per nomen *entis* est aequivoca, idem est ac dicere quod ens est simul non ens, quod est negare ipsum ens.

2) *ex consideratione relativa entis* scilicet *per ordinem ad intellectum*. Etenim intellectus est facultas *una*. Atqui contra rationem facultatis *unius* est quod eius *proprium obiectum* sit aequivocum seu omnino diversum vel *multiplex formaliter*. Cum ergo ens sit *proprium obiectum* intellectus, impossibile est quod sit aequivocum, quia ipso facto ipsemet intellectus pessumdetur. Dicere ergo quod ens est aequivocum idem est ac destruere radicitus et ipsum ens et ipsum intellectum; quia aequivoca non sunt intelligibilia; destructo enim intelligibili, oportet quod destruetur ipsemet intellectus, qui essentialiter dicitur per ordinem ad intelligibile.

b) Deinde constat argumentis *specialibus* pro singulis inferioribus entis ut sic; reapse enim:

1) *Ens non est aequivocum ad ens reale et ens rationis*, nam ea quae sunt *essentialiter et naturaliter similia* non sunt aequivoca. Atqui ens reale et ens rationis sunt *essenntialiter et naturaliter similia*. Ergo ens reale et ens rationis non sunt aequivoca.

Maior patet ex notione aequivocationis et similitudinis; quae enim sunt similia in aliquo conveniunt; ergo non sunt penitus diversa seu dissimilia; ergo non sunt aequivoca.

Minor vero probatur. Ens rationis est passio seu proprietas entis cogniti ut est cognitum, ut in Logica ostenditur. Atqui ens cognitum ut cognitum est *naturaliter et essentialiter simile* enti reali; quia cognitio fit *essentiali-*

ter per *assimilationem*, cum secus foret simul cognitio et non cognitio; si namque ens cognitum ut cognitum esset penitus diversum seu dissimile enti quod cognoscitur, iam non esset amplius cognitum. Ergo ens cognitum ut cognitum est essentialiter et naturaliter simile enti reali quod cognoscitur. Unde et ens rationis est *fundamentaliter* in rebus.

2) *Ens reale non est aequivocum ad substantiam et accidens*, nam in primis quae sunt aequivoca non dependent ad invicem, sed sunt penitus disparata. Atqui contra rationem accidentis est ponere ipsum non dependens sed separatum a substantia, quia tunc esset ens *absolutum in se* et *ad se*. Ergo *contra rationem accidentis* est ponere aequivocationem inter ipsum et substantiam.

Exinde etiam sequeretur *agnosticismus absolutus*; cognitio enim nostra incipit a *sensibilibus* seu accidentibus, quae ideo *sensibus* percipiuntur. Atqui ex uno aequivoco perveniri non potest in cognitionem alterius. Ergo ex cognitione accidentium, quae sunt obiectum proprium sensus, numquam homo posset pervenire ad cognitionem substantiarum, quae sunt proprium obiectum intellectus, et sic evaderet impossibilis qualiscumque cognitio intellectiva et scientifica.

3) *Ens reale non est aequivocum ad ens creatum et increatum*: Primo, quia inter *effectum* et causam non datur nec dari potest aequivocatio. Atqui ens creatum est *effectus* entis increati, quod est propria causa eius. Ergo inter ens creatum et ens increatum non datur nec dari potest aequivocatio.

Maior patet ex eo quod *omne agens agit sibi simile*; si autem est simile, non est penitus dissimile, ut ex terminis constat.

Minor autem ex ipsamet notione terminorum liquet.

Deinde, quia secus Deus esset insipiens seu admitteretur *agnosticismus in Deo*. Deus enim non potest cognoscere alia a se nisi per se ipsum, in quantum est eorum causa, quia secus pateretur seu *actuaretur ab alio*, quia est ipsemet *actus purus*. Atqui ex uno aequivoco impossibile est cognoscere aliud aequivocum, cum sint penitus diversa. Ergo nec Deus ex cognitione sui posset pervenire in cognitionem aliorum a se.

Tertio, pariter *nec nos possemus Deum cognoscere*, etiam imperfecte. Non enim possumus Deum cognoscere nisi ex creaturis tamquam per effectus eius. Atqui effectus aequivocus repugnat et, si daretur, non posset ducere in cognitionem causae. Ergo Deus maneret pro nobis penitus incognoscibilis. Unde patet quod radix agnosticismi moderni, ut habetur apud positivistas et modernistas, finaliter habetur in aequivocatione entis, ex qua sequitur *nominalismus radicalis*, quia non esset alia convenientia in rebus nisi *nominis*, et ideo *nomina* tantum essent *communia* seu *universalia*.

Quarto, denique, ex quo sequitur quod *omnia nomina aequaliter seu indifferenter dicerentur de Deo*, «quia ex aequivocis non differt quodcumque nomen imponatur, ex quo nulla rei convenientia attenditur» [1], et sic eodem iure vocari posset corpus et spiritus, creator et creatura, bonus et malus, etcetera. Unde et nominalista radicalis Nicolaus de Ultricuria dixit «quod propositiones: Deus est, Deus *non est*, *penitus idem significant*, licet alio modo» [2]. Posita ergo aequivocatione entis, nihil amplius consistere valet: nec ens, nec intellectus, nec substantia, nec accidens, nec Deus, nec creatura; sed tantummodo maneret *sophistica pura*, cuius obiectum est aequivocatio. Radix itaque nominalismi et nihilismi et agnosticismi est aequivocatio entis, et ideo probare falsitatem istius positionis est radicitus evertere fundamenta horum errorum, qui hodie quasi ubique grassantur et fructum in ordine religioso dederunt modernismum, qui demum in agnosticismo radicatur.

---

[1] S. Thomas, *De Verit.*, 2, 11.
[2] *Errores Nicolai de Ultricuria*, damnati a Clemente VI, Denz. 555.

766. *Secundo, ens non est univocum*, et hoc ostenditur argumento *generali* et *specialibus* rationibus pro singulis inferioribus entis.

a) Argumentum *generale* procedit *ex ipsamet notione entis et univocationis* hoc modo: ea quorum *rationes formales* seu *definitiones non sunt omnino eaedem* non sunt eadem inter se seu unum non est alterum. Atqui ratio formalis seu definitio entis et ratio formalis seu definitio univoci *non sunt omnino eaedem*. Ergo ens et univocum non sunt eadem inter se seu ens non est univocum.

Maior est manifesta cum sit ipsummet principium identitatis, quod fundatur immediate super rationem *unius* essentiae seu rationis formalis; oportet enim, ut in Logica docetur, quod definitio et definitum sint *convertibilia*; quorum ergo definitiones non sunt convertibiles, nec ipsa sunt convertibilia inter se.

Minor autem probatur. Quae habent *praedicata essentialia* diversa non habent eamdem definitionem, nam definitio continet praedicata essentialia definiti, ut in Logica demonstratur. Atqui *ens* et *univocum* habent praedicata essentialia *diversa*. Ergo ens et univocum non habent eamdem definitionem seu rationem formalem, et consequenter unum non est alterum.

Minor *subsumpta*, in qua tantum est difficultas, sic ostenditur:

1) *Univoca* sunt *universalia*, quia significant rationem omnino eamdem pluribus communem, ut hoc nomen *homo* dictum de singulis individuis humanis; *ens* autem non est universale, sed *transcendens*, quia complectitur genera et rationes diversas; dicitur enim ens de substantia et de quantitate et de qualitate, de Deo et creaturis, de ente reali et ente rationis; possumus namque dicere quod substantia est ens et quantitas est ens, haud licet tamen dicere quod *substantia est quantitas*; ergo non idem significat ens et substantia, ens et quantitas, sed aliquid transcendens utramque. Similiter dicere possumus: Deus est ens, creatura est ens; non tamen possumus dicere: *Deus est creatura*. Pariter verum est dicere: ens reale est ens, ens rationis est ens; nefas tamen est dicere: *ens reale est ens rationis*. Non ergo idem utrobique significatur nomine entis.

2) *Univoca* conveniunt in *essentia* et differunt in *esse* a quo abstrahunt; sic enim Petrus et Paulus conveniunt in essentia seu in humanitate, quia uterque aequaliter est homo; sed differunt in *esse*, quia esse Petri est proprium Petri et esse Pauli est ei proprium, secus enim Petrus esset Paulus; «sic enim, inquit S. Thomas, in Petro non differret *homo* et hominem *esse*, impossibile esset quod homo *univoce* diceretur de Petro et Paulo, quibus est *esse* diversum»[1]; *ens* autem non abstrahit ab *esse*, quia et ipsum *esse* est ens; esse ergo est *extra* rationem univocorum; sed est *intra* rationem entis; extra enim ens *nihil* est; *esse* autem non est *nihil*.

3) *Univoca* conveniunt in aliquo genere vel sunt genera, quia sunt *universalia*; non autem datur universale quod non sit vel genus vel sub genere aliquo; *ens* vero nec est genus nec sub genere: *non* est *genus*, quia omne genus habet *differentias* quae sunt *extra* essentiam generis scilicet habet differentias *extrinsecas*, sicut rationale est *extra* rationem animalis ut sic; *extra* ens autem non potest esse aliqua differentia, quia extra ens *nihil* est; nihil autem non potest esse differentia, cum differentia sit *aliquid*; nec etiam potest esse *sub genere*, quia quae continentur sub genere sunt *posteriora* genere et non transcendunt genus illud sub quo continentur; nihil autem potest intelligi vel dari *prius ente*, quia tunc illud esset non ens; ens autem non potest esse posterius non ente.

4) Quia ergo genus est totum universale potentiale, *descendunt univoca*, quae sunt universalia ut dictum est, *mediate*, sicut ad sua inferiora seu praedicantur de illis *mediate*, sicut animal praedicatur de homine, non ratione *formalis* ho-

---

[1] S. Thomas, *De Verit.*, 2, 11.

minis sed ratione *viventis sensitivi*, «non enim animal significat hominem, nisi quia homo est substantia animata sensibilis»[1]; *ens* autem e converso descendit *immediate* ad sua inferiora; quia nihil est intimius et profundius cuilibet quam ens, quod est praedicatum essentiale respectu omnium. Sic ergo *univoca* non semper praedicantur *per se primo* de suis inferioribus; *ens* autem semper praedicatur *primo et per se* de *omnibus*; quia et ipsum praedicatum per se primo est ens et prius est ens quam primum praedicatum, etiam respectu ipsiusmet primi praedicati, sicut per prius convenit homini esse ens quam animal rationale et intimius et profundius; nec enim esset animal rationale si non esset ens. Manifestum est ergo quod ens et univocitas seu univocum non habent eamdem definitionem.

767. b) Deinde probatur *argumentis specialibus* pro singulis inferioribus eius, et quidem:

1) *Ens non est univocum Deo et creaturis.* Quod probatur directe et indirecte seu ad absurdum.

Argumenta directa sunt huiusmodi: «*Diversa habitudo* ad *esse*, ait S. Thomas, impedit *univocam* praedicationem entis. *Deus* autem *alio modo* se habet ad *esse* quam *aliqua alia creatura*; nam ipse est *suum esse*, quod *nulli alii creaturae* competit. Unde *nullo modo univoce* de Deo et de creatura dicitur»[2]. Quod quidem argumentum sic in forma stricta proponi potest: Diversa habitudo ad esse impedit univocationem entis. Atqui in Deo et creaturis datur diversa habitudo ad eesse. Ergo impedit univocationem entis relate ad Deum et creaturas, quae ideo non datur.

Maior constat ex terminis; quia supremum analogatum entis est *esse* a quo unumquodque denominatur *ens* et ad quod habet *habitudinem* ut ad *formam* vel *actum*

---

[1] Caietanus, *In De ente et essentia*, ed. 1907, p. 25.
[2] S. Thomas, *De pot.*, 7, 7.

sui. Ergo *diversitas habitudinis* illius idem est ac non univocitas. Unde stat quod *diversa habitudo* ad *esse* impedit vel *tollit* univocitatem entis.

Minor autem sic ostenditur: habitudo ad aliquid *intra* et habitudo ad aliquid *extra* sunt diversae, imo et oppositae. Atqui habitudo ad *esse* in Deo est habitudo ad aliquid *intra*, quia *esse* est de essentia Dei, dum e contra habitudo creaturae ad *esse* est habitudo ad aliquid *extra*, quia *esse* est extra essentiam creaturae, cum sit accidens eius. Ergo in Deo et creaturis *datur* diversa habitudo ad *esse*.

Sic ergo patet quod ens ut *participium* seu ut significat *esse* est praedicatum *essentiale* solius Dei. Ad rem S. Thomas: «Dupliciter aliquid de aliquo praedicatur: uno modo *essentialiter*; alio modo *per participationem* (*accidentaliter*); lux enim praedicatur de corpore illuminato participative, sed, si esset aliqua lux separata, praedicaretur de ea essentialiter. Secundum hoc dicendum est quod *ens* (ut participium) *praedicatur de solo Deo essentialiter* (seu *per se*), eo quod *esse* divinum est esse subsistens et absolutum; de qualibet autem creatura praedicatur *per participationem* (accidentaliter seu per accidens aut contingenter); nulla enim creatura *est* suum *esse*, sed est *habens esse*... Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi *aliquid* esse *praeter id* quod participatur; et ideo in qualibet creatura est *aliud* ipsa creatura *quae* habet esse et (*aliud*) ipsum *esse* eius»[1]. Ratio haec profundissima simul et fundamentalis manifestat doctrinam de analogia entis finaliter niti in doctrina illa de reali distinctione inter essentiam et esse in creatis et earum identitate in Deo. Unde et merito distinctio illa dicitur veritas fundamentalis philosophiae christianae. Qui ergo negant distinctionem illam debent *consequenter* negare analogiam entis et univocitatem eius defendere, ut fecit Scotus; at Suarezius

---

[1] *Quodl. II*, a. 3.

qui simul negat distinctionem realem essentiae et esse et retinere vult nihilominus analogiam entis, omnino *illogice* procedit, nec mirum, si analogia eius sit verbotenus tantum analogia.

768. *Praeterea*: inter infinite distantia non est univocatio. Atqui inter Deum et creaturas est infinita distantia. Ergo inter Deum et creaturas non potest esse univocatio.

Maior est manifesta, quia *distantia* hic sumitur non localiter, sed secundum *dissimilitudinem naturae*, ut S. Thomas explicat his verbis: «Cognitio intellectiva in nobis sumit principium a *phantasia* et *sensu*, quae ultra *continuum* (seu quantitatem) se non extendit, et inde est quod ex his quae *in continuo* inveniuntur, transumimus nomina ad omnia quae capimus intellectu, *sicut patet in nomine distantiae*, quae primo invenitur *in loco* (physice) et exinde transumitur ad *quamcumque formarum differentiam* (metaphysice), propter quod *omnia contraria, in quocumque sint genere*, dicuntur esse *maxime distantia*, licet *distantia primo* inveniatur in (praedicamento) *ubi*» [1]. Et rursus «Dicuntur *res* (creatas) *distare a Deo per dissimilitudinem naturae, vel gratiae*, sicut et ipse est super omnia *per excellentiam suae naturae*» [2]. Ergo infinite distantia sunt *infinite dissimilia* et consequenter non univoca.

Minor vero clara est, quia Deus superexcedit in infinitum quamcumque naturam creatam vel creabilem, cum Deus sit infinitus simpliciter et alia omnia sint finita.

769. *Denique*, effectus univocus *adaequat* virtutem causae et est eiusdem naturae cum ipsa. Atqui creaturae quae sunt effectus Dei nequeunt *adaequare* virtutem causae primae, sed infinite *deficiunt*. Ergo nulla creatura potest ese univoca Deo.

[1] *De pot.* 10, 1.
[2] I, 8, 1 ad 3.

Maior est evidens; nam agens univocum facit sibi simile secundum speciem, sicut equus generat equum et homo hominem nec possibile est hominem aut equum *ut generantes* aliud generare praeter equum aut hominem.

Minor autem constat; Deus enim est *suum esse*, est autem impossibile quod aliquid aliud praeter Deum sit *suum esse*; ergo et impossibile est aliquid praeter Deum esse univocum Deo. Unde S. Thomas dicit: «Hoc est *contra rationem facti* quod *essentia* rei sit *ipsum esse eius*, quia esse subsistens non est esse creatum; unde contra rationem facti est quod sit simpliciter infinitum. Sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam, non tamen potest *facere* aliquid *non factum* —hoc enim esset contradictoria esse simul— ita non potest facere aliquid infinitum simpliciter» [1], seu quod sit *ipsum suum esse. Nihil* ergo potest *univoce* de Deo et creaturis dici, «existente enim diversitate in *primo* (quod est ens), oportet in *aliis* (omnibus) diversitatem inveniri» [2].

770. *Argumenta indirecta* seu *ad absurdum* sic procedunt: Absurdum est dicere omnia entia esse *unum esse*; hoc namque importat pantheismum seu monismum. Atqui posita univocitate entis inter Deum et creaturam, substantiam et accidentia, omnia essent *unum esse*. Ergo univocitas entis absurda est, sicut absurda est conditio cuius conditionatum est absurdum.

Maior patet, quia sensu communi omnium hominum constat dari pluralitatem entium, quae etiam differunt in esse.

Minor vero probatur. Ubi non datur nisi una essentia non datur nisi unum esse. Atqui posita univocitate entis, non daretur nisi una essentia. Ergo non daretur nisi unum esse.

[1] I, 7, 2 ad 1.
[2] *De pot.*, 7, 7

Et sane, univoca significant rationem seu *definitionem omnino eamdem*; ergo *unam* ut sic; ratio autem vel definitio rei est eius essentia; posita igitur univocitate entis, non daretur nisi una essentia. Sed essentia dicitur tota quanta est in ordine ad *esse*. Ergo posita una essentia, necesse est ponere *unum esse*. Ergo posita univocitate entis, sequeretur omnia entia esse *unum esse* tantum, quod est monismus absolutus seu pantheismus, terminus logicus realismi immoderati.

Hoc argumentum potest etiam aliter proponi hoc pacto: *esse* non est praeter ens, quia esse non potest esse nihil. Si ergo ens esset univocum, *esse* non esset *extra* rationem univoci, sed *intra* ipsam, et consequenter univocitas sumeretur secundum *esse*. Atqui esse in quantum est esse non potest esse diversum nec univocitas admittit vel minimam diversitatem in propria ratione. Ergo admissa univocitate entis sequeretur necessario non dari nisi unum *esse* omnium, omnino indivisum et indivisibile.

Et hic est terminus ad quem pervenit Parmenides. Dicit enim: «Quidquid est praeter ens est non ens; sed quod est non ens est nihil. Ergo quidquid est praeter ens est nihil. Sed ens est unum. Ergo quidquid est praeter unum est nihil. Ergo est tantum unum ens. Et ex hoc concludebat quod esset immobile, quia non haberet *a quo* moveretur, nec haberet *extra* se *quo* moveretur» [1]. Quam argumentationem reprehendit Aristoteles et post ipsum S. Thomas his verbis: «Parmenides assumit propositiones *falsas*, quia accepit *quod est*, id est *ens*, dici *simpliciter*, id est *uno modo* (seu *univoce*), cum tamen dicatur *multipliciter* (*analogice*). Dicitur enim ens *uno modo* substantia, *alio modo accidens*; et hoc *multipliciter* secundum *diversa genera*; potest *etiam* accipi ens prout est commune substantiae et accidenti» [2].

[1] *In I Phys.*, lec. 6, n. 2.
[2] *Ibidem*, n. 4.

771. *Praeterea*, ex hac identitate entis sequitur *statim identitas scientiarum*. Si enim ens est *univocum*, debet habere semper et in omnibus *eamdem definitionem*, et ideo non posset dari in rerum natura nisi *una definitio*. Atqui ubi non datur nisi *una definitio* non potest dari nisi *una* scientia, quia definitio est ratio formalis *sub qua* scientiae. Ergo *impossibilis redderetur* pluralitas scientiarum, nec philosophia dividi posset in partes, sed idem esset Metaphysica et Logica et Physica et Mathematica et Ethica, et *eadem methodus* ubique esset adhibenda. Quod ex historia philosophiae abunde constat. Sic Spinoza reduxit omnes scientias ad Methematicam cuius abstractionem confundit cum abstractione metaphysica; pariter Newton et plerique physicorum modernorum reducunt Physicam ad Methematicam et naturam considerant ut machinam; similiter Hegel identificat Logicam cum Metaphysica; nec desunt utilitaristae qui Ethicam in Methematicam vel in puram Physicam resolvant. Propterea, quia Methematicae faciliores sunt, fere omnes isti philosophi post Cartesium omnia videre volunt in abstractione mathematica renuuntque admittere quod *evidentia mathematica* non constat, sed proprie *metaphysici* non sunt, quia metaphysica certe liberaret eos his aberrationibus.

772. *Denique* inde sequitur immediate *confusio inter ordinem naturalem et supernaturalem*; nihil enim pro nobis esset incognoscibile, quia aut nihil cognoscimus aut omnia omnino apprehendimus, cum omnia sint *eodem modo cognoscibilia* ex quo ponitur esse *eodem modo entia*. Et sic apparet quare Scotus admisserit possibilitatem alicuius creaturae cui connaturalis foret visio essentiae divinae, quod tamen a theologis communiter reicitur et quare non admittat nisi supernaturale *quoad modum* seu ex causis extrinsecis, et neget distinctionem inter propositionem per se notam quoad se et per se notam quoad nos et propterea dicat *Deum esse* esse per se notum quoad nos et argumentum a simultaneo, ut aiunt, cum S. Anselmo admittat, quibus eadem de causa adhaeserunt pos-

tea Cartesius et Leibnizius. At haec omnia falsa sunt, logice tamen deducta ex principio univocitatis entis ad Deum et creaturas.

773. 2) *Ens non est univocum ad substantiam et accidentia.* Iterum probatur directe et indirecte seu ad absurdum.

En *argumenta directa*: Diversa habitudo ad esse impedit univocationem entis. Atqui diversa est habitudo ad esse in substantia et in accidentibus. Ergo ens non est univocum ad substantiam et ad accidentia.

Maior constat ex dictis supra.

Minor ergo probatur. Diversa est habitudo ad habendum esse *in se* et ad habendum esse *non in se*, sed *in alio*. Atqui habitudo substantiae ad *esse* est ad habendum *esse in se*, dum habitudo accidentium est ad habendum esse *in alio* et *non in se*. Ergo diversa est habitudo ad esse in substantia et in accidentibus. Unde dicit S. Thomas: «Hoc nomen *ens* secundum quod importat *rem* cui competit huiusmodi esse, sic significat essentiam rei et dividitur per decem genera; *non tamen univoce, quia non eadem ratione* competit omnibus esse, sed substantiae quidem *per se*, aliis autem *aliter*» [1].

774. *Praeterea* idem probatur *a posteriori ex signo definitionis*, nam quae univoce conveniunt habent *eamdem definitionem*. Atqui substantia et accidens, etiam ut sunt entia, *non habent eamdem definitionem*. Ergo substantia et accidens non conveniunt univoce in ratione entis.

Maior est per se nota.

Minor sic ostenditur: *Substantia* dicitur ens *simpliciter*; accidens autem dicitur ens *secundum quid* seu entis ens; constat autem non esse idem simpliciter et secundum quid; «nam ens *simpliciter* dicitur id *quod in se* habet esse, scilicet substantia; alia vero dicuntur entia quia *sunt huius* quod *per se est* vel passio vel habitus vel aliquid huiusmodi; non enim qualitas dicitur ens, quia *ipsa habet esse*, sed *per eam* substantia dicitur esse disposita et similiter est de aliis accidentibus; et propterea dicit (Aristoteles) quod sunt *entis*» [1].

[1] *Quodl. II*, a. 3.

775. *Argumenta* vero *indirecta* seu *ad absurdum* sunt haec: Ubi ponitur univocitas non ponitur nec poni potest diversitas ut sic. Sed quidquid est creatum et creabile aut est substantia aut est accidens. Ergo posita univocitate entis ad substantiam et accidens, *omnis diversitas seu distinctio in rebus creatis evadit impossibilis*, et sic in creatis non posset dari nisi *unum ens*. Hoc autem absurdum est. Ergo et absurda est univocitas entis ad substantiam et accidens.

776. *Praeterea*, inde sequeretur etiam *identitas seu univocitas inter sensum et intellectum*. Posita enim identitate obiecti, ponitur et identitas facultatis. Atqui *accidentia* sunt obiectum proprium *sensuum*; *substantiae* vero sunt obiectum *intellectus*. Ergo admissa univocitate entis ad substantiam et accidens, sequeretur identitas inter sensum et intellectum, cum idem esset ens sensibile et ens intelligibile. Et inde est quod Scotus admittit intellectum *directe esse* cognoscitivum *singularium*, quod thomistae impossibile reputant.

777. 3) *Ens non est univocum ad ens reale et ad ens rationis.*

Probatur argumento saepe allato: Diversa habitudo ad esse impedit univocationem entis. Atqui ens reale et ens rationis habent diversam habitudinem ad esse. Ergo ens non est univocum ad ens reale et ens rationis.

Minor constat ex eo quod diversa est *habitudo ad esse obiective tantum in intellectu* quam importat *ens ratio-*

[1] *In X Metaphys.*, lec. 3, n. 2197.

nis, et *habitudo* ad *esse obiective extra intellectum*, quam dicit *ens reale*.

778. *Praeterea*, probatur *indirecte* ex absurdo quod sequeretur, scilicet *confusio inter Logicam et Metaphysicam*, ideale et reale, primum logicum et primum ontologicum, quod abunde patet ex historia philosophiae, nam in hac univocitate fundatur totus hegelianismus totusque ontologismus, qui falsi sunt.

Constat ergo luculenter ens non esse aequivocum neque univocum; superest ergo ut sit analogum.

779. B) Quod tamen *positive* probatur tum argumento generali tum argumentis specialibus respectu singulorum inferiorum.

a) Argumentum *generale* sumitur *ex notione communi analogiae et ex communi notione entis* hoc modo: Quaecumque habent rationem aliquam communem nec omnino eamdem nec omnino diversam, sed partim eamdem et partim diversam, *analogice* conveniunt. Atqui ens reale et ens rationis et Deus et creatura et substantia et accidens ita se habent in ratione entis. Ergo ratio entis est analoga.

Quod autem non sint omnino eadem patet, quia unum non est aliud; quod autem non sint omnino diversa constat, quia omnia ista dicuntur et sunt entia. Quia ergo differunt in ratione entis et tamen conveniunt, necesse est quod analogice conveniant et analogice differant et consequenter quod ens sit analogum, utpote *susceptivum definitionis analogiae*.

780. b) Deinde probatur *specialiter* pro singulis inferioribus entis.

1) *Ens est analogum ad ens reale et ens rationis analogia tum attributionis tum proportionalitatis propriae.*

Est quidem *analogum*, nam quaecumque sunt *essentialiter similia* et nihilominus *essentialiter dissimilia* analogice conveniunt. Atqui ens reale et ens rationis sunt essentialiter similia et tamen sunt essentialiter dissimilia, quia ens rationis est *essentialiter reproductio* mentalis *naturaliter et per se defectibilis* entis realis. Ergo ens est analogum ad ens reale et ens rationis.

Analogia *attributionis*, nam illa sunt analoga analogia attributionis quorum nomen est commune et ratio significata per nomen est in uno tantum intrinsece et formaliter, in aliis autem extrinsece et per denominationem ab illo. Atqui ratio entis ut denominatur ab esse intrinsece tantum et formaliter invenitur in ente reali, dum in ente rationis est solum extrinsece et per denominationem ab illo; nam ens rationis est ens quia est secunda intentio entis realis, et propterea *definitur per ordinem ad ens reale*, nec potest intelligi sine intellectione praecedenti entis realis. Ergo ens est analogum analogia attributionis ad ens reale et ad ens rationis.

Analogia *proportionalitatis propriae*; nihilominus si ens sumatur ut *nomen* seu ut *essentia*, suscipit simul analogiam *proportionalitatis propriae*; nam ens rationis habet *vere* esse obiective in intellectu et possumus *vere* dicere quod ita se habet ens rationis ad esse obiective tantum in intellectu, sicut se habet ens reale ad esse obiective extra intellectum in rerum natura; et pariter ita se habet Logica ad ens rationis sicut Metaphysica ad ens reale, et ita Logica est *vera* scientia sicut et Metaphysica; *vera* autem scientia supponit *veram rationem formalem propriam et intrinsecam* quodammodo obiecto proprio eius.

781. 2) *Ens est analogum ad Deum et creaturas analogia tum attributionis tum proportionalitatis propriae.*

In primis est *analogum*, quia creatura est *entitative* similis et dissimilis Deo, magis tamen dissimilis quam similis, utpote *effectus* (fundamentum *similitudinis*) *non adaequans*, sed *in infinitum deficiens* a perfectione causae (fundamentum *dissimilitudinis*).

Et quidem *analogia attributionis mixtae secundum causalitatem efficientem, exemplarem et finalem.*

Attributionis namque, quia analoga attributionis sunt quorum nomen est idem, sed ratio significata per nomen est in uno intrinsece et formaliter, in aliis autem extrinsece et denominative ab illo. Atqui ens ut *participium* seu ut significat *esse* est solum *intrinsece* et formaliter in Deo, quia *solus Deus est suum esse*; in aliis autem praeter Deum est *extra*. Ergo ens, ut est *esse*, est analogum analogia *attributionis* ad Deum et creaturas.

Attributionis *mixtae*[1], quia licet *formaliter* ut ens creatum seu per participationem definiatur per habitudinem ad creatorem seu ad ens per essentiam, tamen virtualiter et secundum absolutam considerationem entis, quae hic est *materialis* consideratio, habet ens creatum realitatem sibi *inhaerentem* a qua denominari potest ens, secus enim nec denominationem extrinsecam suscipere posset, cum et ipsamet denominatio sit quoddam ens. Ens ergo ut *essentia* non dicitur de Deo et creaturis secundum analogiam attributionis purae, sed *mixtae.*

Secundum causalitatem efficientem, exemplarem et finalem, quia entitas creata pendet *a causalitate* Dei secundum triplicem illam formalitatem causae; et sic ex parte *efficientis* formaliter habetur *ens*, ex parte *exemplaris* datur *verum* et *pulchrum*, ex parte *finis* fundatur *bonum*: *unum* autem statim sequitur ad *ens* per *negationem causae materialis* ex indivisione; et propterea ista transcendentia suscipiunt eamdem analogiam ac ens, cum quo convertuntur secundum supposita.

Analogia etiam proportionalitatis propriae secundum distantiam infinitam simpliciter vel categorematice.

Proportionalitatis, quia sumendo *essentiam* ut *formam* a qua denominatur *ens*, invenitur *intrinsece* in omnibus

[1] *Nota Editoris*: Dum haec scribebat, huiusmodi analogiam auctor admittebat, quam tamen postea, in accuratiorem crisim revocatam, reiecit, ut patet ex supra dictis sectione secunda primae partis huius operis.

analogatis; *essentia* enim uniuscuiusque est *intra* rem cuius est.

Et quidem *propriae*, quia analogia proportionalitatis propriae sumitur *formaliter* seu secundum significationem propriam *formae intrinsecae* a qua denominatur. Atqui ens ut nomen seu ut essentia, *intrinsece* et *formaliter significat realitatem quamdam similem seu proportionaliter* eamdem in Deo et in creaturis, nihil enim est *essentialius* et magis proprium unicuique quam sua essentia. Ergo ens ut nomen vel ut essentia est analogum secundum proportionalitatem propriam ad Deum et creaturam.

Insuper essentia Dei est *propria* et *intrinseca* Deo; *similiter* essentia creaturae est *propria* et *intrinseca* creaturae. Ergo ens ut essentia est simile *proportionaliter proprie* ad Deum et creaturam; et possumus vere et proprie dicere: sicut se habet essentia Dei ad Deum ita se habet essentia creaturae ad creaturam, et sicut se habet essentia Dei ad suum esse (per adaequationem infinitam) ita se habet essentia creaturae ad suum esse (per adaequationem seu commensurationem finitam).

Secundum distantiam infinitam simpliciter, quia revera inter Deum et creaturam datur infinita dissimilitudo; nec tamen minor est proportionalitas quam si foret inter finite distantia; «talis enim similitudo (proportionum) *similiter* invenitur in *multum vel parum distantibus*, non est enim maior similitudo *proportionalitatis* inter 2 et 1 et inter 6 et 3 quam inter 2 et 1 et 100 et 50; et ideo *infinita distantia creaturae ad Deum similitudinem praedictam non tollit*»[1].

Ex quo patet proportionalitatem huiusmodi esse *proportionalitatem* puram et analogiam *metaphysicam*; et consequenter omnia quae consequuntur ad ens ut sic vel dicunt perfectiones simpliciter simplices eamdem suscipiunt analogiam.

[1] S. Thomas, *De Verit.*, 2, 11 ad 4.

782. 3) *Ens creatum est analogum ad substantiam et accidens analogia sive attributionis sive proportionalitatis propriae.*

Est *analogum*, quia hoc nomen *ens* dictum de accidente significat *rationem formalem simpliciter diversam* a ratione significata *per ipsum* quando dicitur de substantia, *et tamen illa ratio est secundum quid eadem.*

Analogia attributionis mixtae secundum quatuor causas, si large sumantur causa materialis et causa formalis.

Attributionis quidem, quia substantia est res cuius quidditati debetur esse *in se*, quasi *intrinsece* et formaliter; accidens autem est res cuius quidditati debetur esse *non in se, sed in alio sicut in subiecto*, quasi *extrinsece*. Atqui analogia *attributionis* sumitur penes intrinsecum et extrinsecum rationis formalis significatae per nomen. Ergo ens ut essentia analogice analogia attributionis dicitur de substantia et accidentibus.

Praeterea, in analogis analogia attributionis *primum ponitur in definitione aliorum*. Atqui in definitione entis dicti de accidentibus ponitur ens dictum de substantia. Ergo ens est analogum analogia attributionis ad substantiam et accidens.

Minor sic explicatur a S. Thoma post Aristotelem: «Ostendit (Philosophus) *quomodo substantia dicatur primum*; et dicit quod, cum hoc quod dico *primum* dicatur *multis modis* (analogice), ut in V est habitum, *tribus modis* substantia est *prima* inter *omnia entia*, scilicet secundum cognitionem et secundum definitionem et secundum tempus. Et quod sit prima *tempore* (et *esse*) aliis, ex hoc probatur quod nullum aliorum praedicamentorum est *separabile* (materialiter) a substantia; sola autem substantia est separabilis ab aliis; nullum enim accidens invenitur sine substantia, sed aliqua substantia invenitur sine accidente. Et hic patet quod non quandocumque est substantia est accidens, sed e contrario, et propter hoc substantia est prior *tempore* (et *esse*).

Et quod etiam sit prima *secundum definitionem* (id est secundum *essentiam*) patet, quia *in definitione cuiuslibet accidentium oportet ponere definitionem substantiae*. Sicut enim in definitione simi ponitur nasus, ita in definitione cuiuslibet accidentis ponitur *proprium eius subiectum*; et ideo sicut animal est prius definitione quam homo, quia definitio animalis ponitur in definitione hominis, eadem ratione substantia est *prior definitione* accidentis.

Quod etiam sit prior *ordine cognitionis*, patet. Illud enim est primum *secundum cognitionem* quod est *magis notum* et *magis manifestat rem*; res autem unaquaeque magis noscitur quando scitur eius substantia quam quando scitur eius quantitas aut qualitas; tunc enim putamus nos maxime scire singula quando noscitur quid est homo aut ignis; magis quam quando cognoscimus quale est aut quantum aut ubi aut secundum aliquod aliud praedicamentum. Quare, etiam de ipsis quae sunt in praedicamentis accidentium, tunc scimus singula quando de unoquoque scimus *quid* est; sicut quando scimus quid est ipsum quantum scimus quantitatem et quando scimus quid est ipsum quale scimus qualitatem. Sicut enim alia praedicamenta *non habent esse* nisi per hoc quod *insunt* substantiae, ita non habent *cognosci* nisi in quantum participant aliquid de modo cognitionis substantiae, quae est cognoscere *quid* est» [1].

Et *attributionis mixtae*, quia de facto accidentia habent suas *essentias proprias sibi intrinsecas*, sicut et entitatem propriam.

Secundum quatuor causas, quia substantia respectu accidentium et est *subiectum* inhaesionis (causa *materialis*), et est principium *a quo* oriuntur ut propriae passiones (causa *efficiens reductive*) et accidentia sunt *propter* substantiam vel subiectum cuius sunt (causa *finalis*), et sunt *participationes deficientes* entitatis *plenae*

---

[1] *In VII Metaphys.*, lec. 1, nn. 1257-1259.

substantialis (causa *exemplaris*); proprie autem et simpliciter dicuntur analoga per respectum ad substantiam ut *subiectum*[1]. «Huiusmodi autem praedicationis, ait S. Thomas, *duplex est modus* (secundum quamcumque causalitatem): unus quo aliquid praedicatur *de duobus* per respectum ad aliquod tertium, sicut ens de qualitate et quantitate per respectum ad substantiam; alius autem modus est quo aliquid praedicatur *de duobus* per respectum *unius ad alterum*, sicut ens de substantia et quantitate. In primo autem modo praedicationis oportet esse aliquid prius duobus, ad quod ambo respectum habent, sicut substantia ad quantitatem et qualitatem; in secundo autem non, sed necesse est unum esse prius altero»[2].

Etiamque *analogia proportionalitatis propriae secundum distantiam finitam tantum vel indefinitam.*

Proportionalitatis quidem, quia tam substantia quam accidens sunt entia *vere* et *realiter*, sed tamen utrobique *suo modo*; nam «*substantia* est ens tamquam *per se* habens *esse*; *accidens* vero tamquam cuius esse est *inesse*[3]; substantia habet esse ut *subiectum* vel ut *quod* est; accidens vero ut *praedicatum* vel ut *quo* subiectum est *tale*.

Proportionalitatis *propriae,* quia utrobique nomen *entis* ut est essentia *propriam et formalem significationem* servat *modo suo*, sicut homo *proprie et formaliter* significat *substantiam*, color autem *proprie et formaliter* designat *qualitatem*.

Secundum distantiam finitam vel determinatam, si agatur de accidentibus connaturalibus, nam inter causam *propriam* et effectum *proprium* datur *proportio determinata.* Atqui accidens *proprium* est effectus vel sequela propria substantiae *specificae*, et pariter accidens *commune* est effectus vel passio propria substantiae *individuae.* Ergo cum omne accidens debeat esse vel proprium vel commune, necesse est dicere inter substantiam et accidentia connaturalia esse finitam distantiam, et ideo possumus substantiam mensurare seu determinare ex huiusmodi accidentibus et accidentia ex substantiis. Sic possumus mensurare rationalitatem hominis ex eius *risibilitate* vel modum se habendi ex eius temperamento.

Secundum distantiam indefinitam seu infinitam secundum quid, si sermo fiat de accidentibus *supernaturalibus* materialiter ut entia consideratis et non *reduplicative* ut supernaturalia, quia tunc esset distantia infinita simpliciter; non enim educuntur de potentia naturali, sed de potentia obedientiali subiecti. Vel etiam si agatur de accidentibus materialibus respectu principii immaterialis, ut accidentia corporis nostri relate ad animam nostram. Si fiat secundum *determinatam distantiam* adest proprie loquendo analogia *proportionalitatis mixtae,* idest *proportionatae* seu finitae inter duas proportiones, et ideo vocari potest analogia *proportionis,* secundum explicationem tamen supra traditam.

Quia vero *agere* sequitur ad *esse*, manifestum est omnes analogias recensitas sumi etiam posse *dynamice* seu in operando, modo proportionali ad analogias in essendo.

Constat ergo tam negative quam positive ens esse analogum ad sua inferiora.

[1] Cf. *In IV Metaphys.*, lec. 1, nn. 539-543.
[2] *De pot.*, 7, 7.
[3] *Ibidem.*

Art. 2.- Applicatio specialis notionis analogiae ad Philosophiam et ad Sacram Theologiam

783. Sicut ens habet applicationes in omnibus scientiis, quia ubique et in omnibus latet, ita et analogia quae ad ens sequitur, ut dictum est. Ut ergo transcendentia notionis huius intimius penetretur, faciemus primo applicationes quasdam in Philosophia, deinde vero in Sacra Theologia

§ I

APPLICATIONES IN PHILOSOPHIA

784. In Philosophia quidem apparet statim veritas fundamentalis, scilicet *philosophiam ipsam* esse *analogam* et consequenter analogice dividi in partes, quae analogice tantum inter se conveniunt et analogica methodus tradendae sunt; nam tota philosophia est scientia *de ente,* diversimode tamen secundum diversa entia et secundum considerationem diversam unius vel diversorum entium, ita ut supremum analogatum Philosophiae sit Metaphysica (quae ideo antonomastice vocatur *Philosophia*), deinde Mathematica, postea Physica, ad quam sequitur Ethica et postremo Logica; nam prior est scientia de ente reali quam de ente rationis, et inter entia realia secundum maiorem vel minorem immobilitatem et certitudinem eius seu secundum maiorem vel minorem accessum ad immaterialitatem obiecti Metaphysicae. Et inde est quod Aristoteles et S. Thomas dividunt scientias speculativas *secundum diversos gradus* seu *modos* abstractionis, et non secundum species, quia abstractio est quid analogum, sicut intelligibile ad quod sequitur vel quod praecedit. Ex quo patet error transcendentalis illorum philosophorum qui totam philosophiam reducunt ad Psychologiam, ut Cartesiani; vel methodo mathematica tradunt, ut plerique modernorum agunt. Similiter non est omnino eodem modo docenda Physica et Psychologia, quia vita et materia bruta non univoce conveniunt sed analogice analogia physica, licet non analogia metaphysica vel logica, et ideo falluntur moderni qui haec eadem methodo prosequuntur et vitam in motum localem resolvunt. A fortiori decipiuntur qui motum nervorum putant esse eiusdem rationis ac motus intellectus et voluntatis, quo fit ut negent libertatem, et intellectum ad materiam deiciant; haec enim conceptio erronea est, quia univoce sumit motum utrobique, cum tamen sit analogus. Pariter in Ethica sunt duo errores extremi: *communismus* ex una parte, omnia bona omniaque iura societatis in Statum resolvens ita ut iura individualia vel particularia desinant esse vel sint entitates verbales; et ex alia parte *individualismus* seu *egoismus*, omnino despiciens bonum commune nec agnoscens nisi bonum privatum: In primo casu bonum sumitir *univoce* pro bono communi et bono privato; in alio vero *aequivoce*, cum tamen sint bona *analoga*, utpote simpliciter diversa et secundum quid eadem, ex quo fit ut bona individualia *subordinari* debeant bono communi, quin desinant esse, sicut accidens est ens *subordinatum* substantiae quin desinat esse ens *suo modo*; *bonum enim sequitur ad esse.*

785. Similiter notio *causae* analoga est, quia *sequitur immediate ad ens,* sicut agere sequitur ad esse, et notio necessitatis et contingentiae, possibilitatis et impossibilitatis et alia sexcenta quae *ad causam per se consequuntur*, et inde apparet falsitas radicalis determinismi vel contingentismi absoluti, utpote fundati in univocitate vel aequivocitate *causae* et finaliter entis.

786. Compositio ex essentia et esse, quae metaphysica est, analoga est ad compositionem ex materia et forma in ordine physico, et quemadmodum ad cognitionem materiae seu potentiae physicae pervenimus ex consideratione *motus physici,* ita ad cognitionem potentiae metaphysicae seu essentiae quae non est suum esse pervenimus ex consideratione *motus metaphysici*; attamen compositio utrobique est *simpliciter diversa* et secundum quid eadem, nec mirum proinde si Caietanus inter illas invenerit *duas* similitudines tantum et simul *decem* dissimilitudines [1].

787. Denique, ne plura consecter, partes Logicae analogice conveniunt, sicut et Logica est scientia analo-

[1] Caietanus, *In De ente et essentia,* c. 4, q. 9.

ga, utpote eiusdem extensionis et abstractionis negativae ac Metaphysica; et inde est quod et definitio et enuntiatio et syllogismus sint quid analogum et praesertim demonstratio, quae idcirco analogice dividitur; unde non omnes demonstrationes sunt unius eiusdemque valoris et virtutis. Sed haec non consideraverunt moderni, imo nec plerique scholasticorum etiam thomistarum, ex quo abs dubio orta est declinatio scholasticae et corruptio veri spiritus philosophico-peripatetici, quem hodie etiam exulantem lugemus.

§ II

Applicationes in Sacra Theologia

788. Quod si ex Philosophia ad Sacram Theologiam gressum faciamus, adhuc maioris momenti dignoscitur notio haec; nam inter res naturales quarum est philosophia dari potest daturque utrinque de facto univocitas; at inter Deum et creaturas, inter ordinem naturalem et supernaturalem, nonnisi analogia dari potest. Nec mirum, quia ipsum ens dicitur analogice tantum de Deo et creaturis, ut ex dictis constat; oportet enim creaturae notiones, quae finaliter in notionem entis resolvuntur, analogas esse.

789. Et revera, *ipsamet Sacra Theologia* est analoga ad scientiam nostram, quemadmodum scientia analogice dicitur de Deo et de nobis, utpote *de ente* et *ab ente*; necesse est enim illas scientias esse analogas quarum obiecta analoga sunt. Atqui obiectum scientiae Dei est divinum, dum obiectum scientiae nostrae est ens creatum, quae analogice sunt et dicuntur entia. Ergo et scientia Dei et scientia nostra *ex parte obiecti* sunt analogicae. Et idem constat *ex parte subiecti*; quia agere sequitur ad esse; quorum igitur esse est analogum, et agere sit analogum necesse est; patet autem *scire* esse quod-

dam agere scientis et scientes analogice convenire, quia alter est sciens divinus, alter vero sciens creatus. Utrinque ergo analogia datur inter scientiam Dei seu Sacram Theologiam secundum se et scientiam nostram.

Et inde statim concluditur Sacram Theologiam *nostram*, etiam esse analogam secundum quod *in nobis* est, ad Theologiam naturalem, quia Sacra Theologia non est nisi *quaedam impressio vel sigillatio scientiae divinae in nobis*, quae analoga est, ut ex modo dictis constat. Propterea ergo *medium theologicum* seu virtualis revelatio semper *analogum* esse debet, utpote *ex analogis conflatum*, scilicet ex notione supernaturali revelata seu *credita* et ex notione naturali *scita*, quae tamen, quatenus stat sub illa, *elevatur et instrumentum* fit conclusionis supernaturalis *obiective* inferendae; hoc autem impossibile foret, si ens, et consequenter scientia naturalis et supernaturalis, non essent analogae. Quod si *medium* est analogum, necessario *tota scientia* debet esse analoga et *conclusiones* nonisi *valorem analogicum* habere possunt.

790. Ergo et *partes* Sacrae Theologiae debent esse analogicae, idest *potentiales*, et ideo in diversis diversimode argumentadum est, sub directione tamen et imperio *supremae partis*, quae est *pars dogmatica de Deo secundum se*. Illa igitur erit *unice* vera Theologia, quae in actu exercito constructa sit *sub hac forma analoga*, quae ubique *latere*, quin et *dominare* debet ad instar *formae substantialis* corporis theologici vel potius ad modum *animae vivificantis* totam theologiam. Iam autem, adeatis S. Thomam, in ipsoque invenietis *dominium et imperium absolutum* formae et animae huius. Quid enim sibi vult S. Doctor in Secunda et Tertia Parte Summae Theologicae semper et ubique resolvens omnes veritates explicite vel implicite in Primam Partem seu in Deum secundum se, per haec verba saepe repetita: *ut in primo dictum est*? Constat siquidem partes illas esse analogata secundaria quae resolvi debent in summum analogatum quod Deus est et scientia Dei secundum se. Faveat quis

monstrare mihi vel unum articulum Summae Theologicae in quo *medium* non sit *analogum* et *conclusio* analoga non sit, et tunc aperte dicam S. Thomam desipere desinereque theologum esse; at hoc invenietis nusquam.

791. Quid (ut ad singularia descendamus), quod et omnes haereses et omnes errores theologici ex ignorantia vel neglectu analogiae processere? Undenam, quaeso, ortus est eror indemonstrabilitatis exsistentiae Dei nisi ex aequivocitate vel ex univocitate entis? Quibusdam enim exsistentia Dei est indemonstrabilis, quia est *per se nota* (nimis clara) *sicut* exsistentia nostri: ecce *univocitas*; aliis vero est *omnino impervia*, etiam mediate et per effectus (nimis obscura). Cur?-quia sunt effectus *aequivoci*; ecce *aequivocitas.* Est autem demonstrabilis analogice per effectus analogos: en veritas in *analogia.*

Quid iam si in aliis scholis catholicis figamus mentem? *Scientia Dei*, v. gr. concipitur *sicut scientia nostra*, scilicet causata, determinata a rebus, quasi discursiva, incerta; nonne huiusmodi conceptio est anthropomorphica, *ex univocitate* orta inter Deum et nos?

Dicendum est scientiam Dei respectu aliorum a se *practicam* esse, utpote rerum *factarum* seu *creatarum, ad instar* scientiae artifiicis respectu artificiatorum; ergo *non causata a rebus, sed causans res.* Quod si *praemotio physica* inducatur, nonne libertas perimitur?

Motio seu *causalitas Dei* est plus quam physica et plus quam metaphysica, quia et Deus est plus quam metaphysicus, et ideo motio eius non debet *univoce* intelligi cum motione physica creata agentis extranei, quae est motio violenta, utpote coactionem inducens; sed *analogice*, sicut et analogice intelligi debet libertas seu determinatio vel electio libera voluntatis. An non thomistarum sententia procedit ex analogia, molinistarum vero ex univocitate? Ecce molinistae concipientes libertatem nostram *sicut* libertatem Dei et motionem divinam *sicut* nostram, finaliter destruentes et Deum et nos per *discordiam* radicalem, licet ab ipsis *aequivoce concordia* nuncupetur.

Omnis causa creata est instrumentum Dei. Atqui omne instrumentum praemovetur physice a causa principali. Ergo omnis causa creata praemovetur physice vel potius metaphysice a Deo. Sed voluntas creata-etiam libere agens-est causa creata. Ergo praemovetur physice a Deo.

Causa enim principalis et instrumentalis analogice conveniunt in ratione causae et parirter notio causae principalis et notio causae instrumentalis analogicae sunt in suo ordine et analogice subdividuntur. Ex quo patet thomistarum argumentum esse analogum et analogam esset conclusionem eius, et ideo praemotionem Dei esse *simpliciter diversam* a praemotione physica agentis creati, et nonnisi *secundum quid eamdem*, et similiter praemotionem *passivam* creaturae liberae esse *simpliciter diversam* a passiva praemotione creaturae non liberae et *secundum quid* tantum *eamdem* aut quid dicere vult S. Thomas semper repetens Deum movere causas secundas *secundum modum suum* scilicet necessarias necessario, contingentes contingenter, *liberas libere*? Puderet sane haec dicere nisi plures caecutire plena die cerneremus!

Pariter *creatio*, utpote actio propria Dei agentis metaphysici, est sine motu et consequenter sine tempore, quod ad motum sequitur; actio vero hominis et aliorum agentium physicorum est cum motu ideoque cum tempore. Qui ergo negant possibilitatem creationis *ab aeterno* imaginationem transcendere non valent et Deum concipiunt *univoce* cum agentibus physicis; qui vero, ut S. Thomas, possibilitatem illam admittunt, actionem Dei *analogice* intelligunt ad actionem creatorum, et ideo *ut simpliciter diversam.*

792. In Tertia Parte *unio hypostatica* est *analoga* ad unionem animae et corporis, dicente symbolo athana-

siano: «sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus». Est enim unio substantialis, sed non monophysica, sicut unio animae et corporis; Eutiches *univoce* intellexit et haeresim monophysismi induxit; Nestorius e contra omnino *aequivoce* dicens esse unionem *accidentalem* et *metaphoricam*, sicut unio duorum amicorum, et ita haeresim dualismi incursit; veritas autem catholica est in medio, scilicet *in analogia*.

793. Rursus *causalitas gratiae* analogice intelligitur de Deo, de Humanitate Chrisi et de Sacramentis, sicut et causa principalis et instrumentalis tam coniuncta quam separata, analogicae sunt. Imo et dogma ipsum Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis analogice intelligendum est ad sanctificationem *Christi* et ad *primam* sanctificationem *nostram*; Christus enim utpote omnium Redemptor, non indiguit redemptione nec redemptus est; Maria vero et nos indigebamus redemptione et redempti sumus, at *non eodem modo*; nam B. Virgo redempta fuit per redemptionem *praeventivam ante* contractionem personalem seu actualem peccati originalis; nos autem per redemptionem *ordinariam post* maculam originalem contractam. Ergo erraverunt *per excessum*, qui *univoce* susceperunt primam sanctificationem Matris et sanctificationem Filii et hoc derogabat *dignitati* seu *excellentiae Christi*; ergo erraverunt *per defectum* qui sanctificationem illam putaverunt esse *aequivocam* cum sanctificatione Christi et *univocam* cum prima sanctificatione nostra, et hoc derogabat *dignitati Matris*. Sicut enim *cultus analogus* tribuitur Deo et aliis creaturis et B. Mariae Virgini, quia respectu Dei est cultus *latriae*, respectu aliorum sanctorum est *duliae*; sed respectu Mariae Virginis est *hyperduliae*, ita et *sanctitas* et *sanctificatio prima* respectu Christi, B. Mariae Virginis et aliorum hominum *analogice* sumi debet.

794. Et hoc idem cernere est in parte *morali* seu *practica* Summae Theologicae; finis enim et media *ana-*

logice conveniunt in ratione boni, et similiter bonum honestum, utile et delectabile; *voluntarium* dicitur *analogice* de actibus elicitis et de actibus imperatis, praesertim membrorum corporis, de actibus necessariis et de actibus liberis; finis se habet in operabilibus *sicut* principium in speculabilibus; resolutiones practicae oriuntur ex principiis practicis sicut conclusiones speculativae ex principiis speculativis; gratia se habet in ordine supernaturali sicut natura in ordine naturali; et virtutes sequuntur ad gratiam sicut potentiae naturales ad formam naturalem; peccatum dicitur *analogice* de peccato originali et de peccato personali, in quo *analogice* iterum dicitur de mortali et de veniali, et propterea effectus scilicet reatus et poena analogici esse debent: unde et *analogice* sumi debet in illis et explicari ratio *voluntarii*, quae essentialis est in peccato, sicut fecit S. Thomas, quam tamen in hac parte perperam intellexerunt multi thomistarum. Lex naturalis et lex positiva tam divina quam humana, tam ecclesiastica quam civilis, *analogice* sumenda est, et non *univoce* nec *pure aequivoce*; qui *univoce* sumunt, *confundunt* naturam cum gratia, Ecclesiam cum statu; qui vero *aequivoce*, separant et *disiungunt*, *discordiam* inducendo; qui autem *analogice*, *distinguunt* et *subordinationem harmonicam* tuentur.

795. Concludamus ergo totam Sacram Theologiam *nostram* esse analogam altaque voce conclamemus: pro illis qui profundam doctrinam de analogia non capiunt, nihil scripsit S. Thomas.

Per hanc doctrinam unice veram vitantur oppositi errores anthropomorphismi et agnosticismi, qui inde ab initio revelationis dimicaverunt contra Deum; habetur tamen —et hoc sedulo notandum est— *quidam agnosticismus*; quia ratio significata per nomen analogum est *simpliciter diversa* et *secundum quid eadem*, idest plus accedit ad aequivocationem quam ad univocitatem, et hoc idem est ac dicere quod *nostra cognitio* de Deo plus accedit ad *ignorantiam* seu ad agnosticismum quam ad

scientiam; plura enim sunt quae de Deo ignoramus quam quae scimus, sicut et in ordine ontologico, ad quem cognitio sequitur, docet Concilium Lateranense IV: «Cum ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem oret: volo, inquiens, ut ipsi sint unum *sicut* et nos unum sumus, hoc nomen *unum* pro fidelibus quidem accipitur ut intelligatur *unio caritatis in gratia* (unio accidentalis); pro personis vero divinis, ut attendatur *identitas* in natura *unitas* (unio vel potius unitas substantialis); quem ad modum Veritas alibi dicit: estote perfecti *sicut* et Pater vester coelestis perfectus est, perfectione naturae *utroque videlicet suo modo,* quia *inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda*» [1].

Nec mirum, si analogia metaphorica seu symbolica ubique in Sacra Scriptura reperiatur, praesertim in Antiquo Testamento; exponuntur enim res divinae verbis accommodatis *modo nostro* cognoscendi, scilicet terminis concretis et notionibus sensibilibus seu physicalibus; et inde est quod in Sacris Litteris abundent analogiae *physicae*; at, sicut *in omni notione* imbibitur formaliter vel virtualiter *notio entis,* ita et in omni analogia *physica* imbibitur formaliter vel saltem virtualiter analogia proportionalitatis propriae purae seu *metaphysicae,* et consequenter ubique tangitur *realitas divina,* si profunde res considerentur; sin autem superficietenus conspiciantur, ut moderni plerumque faciunt, ad errores *symbolismi* patet via.

Adhuc multa dicenda essent de hac gravissima quaestione, sed dicta sufficiant, ni fallor, ad ostendendum momentum capitale philosophico-theologicum problematis *de analogia entis* meritoque inter *pronuntiata maiora* doctrinae S. Thomae adnumeratum esse.

---

[1] Concilium Later, IV, c. 2, Denz. 432.

SECTIO SECUNDA

DE ANALOGIA IN USUM THEOLOGIAE SACRAE COOPTANDA

796. Rationem fide illustratam, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequi, tum ex eorum quae naturaliter cognoscit *analogia*, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, hoc est, e propinquiore *analogia* ipsorum mysteriorum fidei inter se, sollemniter declaravit Vaticana Synodus [1], vestigia premens Concilii Lateranensis IV [2].

Hoc est aequivalenter dicere veritates supernaturales, quarum intelligentiae et explicationi tota incumbit Theologia Sacra, dupliciter illustrari posse: primo, ex analogia cum aliis veritatibus naturalibus, quas theologus naturaliter cognoscit; secundo, ex analogia cum aliis veritatibus supernaturalibus, quas theologus sola fide supernaturali tenet. Quod sane est aliis verbis asserere totam Theologiam sacram consistere in huiusmodi analogiis mysteriorum fidei inveniendis et intelligendis.

797. Ac revera in Theologia S. Thomae Aquinatis quae, iuxta sententiam iteratam plurimorum Romanorum Pontificum, est veluti typus et exemplar Theologiae Sacrae, nulla fortasse est notio frequentior et magis fundamentalis quam notio analogiae. Directe vel indirecte, proxime vel remote, explicite vel implicite, vere tamen ac realiter notio haec omnes tractatus theologicos Aquinatis, omnes quaestiones, articulos omnes, immo et omnia argumenta pervadit ac veluti penetrat, eo fere modo quo sanguis totum corpus ac singula eius membra circuit ac pervadit eisque vitam ac robur affert. Quo fit, ut senten-

---

[1] Concilium Vaticanum I, Sess. III, cap. 4, Denz. 1796.
[2] Concilium Lateranense IV, cap. 2, Denz. 432.

tia Thomae de Vio Caietani: «sine analogiae notitia metaphysicales processus absque arte discuntur» [1], aequali vel potiori iure valeat de addiscenda thomistica theologia.

Hac ergo de causa, utile videtur esse in hisce collationibus coram selecto ac doctissimo auditorio americano verbum facere de analogia in usum Theologiae Sacrae cooptanda. Qua tamen in re notare iuvat in primis me non intendere historiam theoriae de analogia eiusque usus in theologicis disciplinis texere, at neque demonstrare usum eius validum esse atque legitimum in hac materia —haec enim alius est negotii aliundeque nota suppono—: sed unice manifestare usum eius et applicationem in Theologia speculativa.

Prius tamen, ad instar introductionis cuiusdam, liceat mihi breviter exponere theoriam de analogia quam applicare intendo. Ut enim egregie docet S. Thomas, «nullus potest convenienter alteri aliquid applicare nisi utrumque cognoscat, scilicet id quod applicandum est et id cui applicandum est» [2]. Et quidem in hac prima lectione notionem, in altera diversos modos legesque analogiae exponere conabor.

---

[1] Caietanus, *De nominum analogia*, cap. 3, n. 29, ed. Zammit, O. P., p. 29.

[2] S. Thomas, II-II, q. 47, a. 3c.

CAPUT I

THEORIA ANALOGIAE

Art. 1.- Notio analogiae

798. Nomen, ἀναλογία, apud graecos usitatissimum, primus Tullius Cicero in linguam proxime transtulit latinam, ut ipsemet narrat hisce verbis: «quae graece ἀναλογία latine —audendum est enim, quoniam *haec primum a nobis novantur*— *comparatio proportiove* dici potest» [1]. Postmodum vero amicus eius Terentius Varro latinitate donavit, indeque iura civitatis in lingua latina veluti acquisivit [2], ita ut Seneca scribere potuerit: «utar ergo illo [nomine] non tantum tanquam accepto, sed *tanquam usitato*» [3]. Quemadmodum igitur latini in propriam linguam cooptarunt verba graeca Φιλοσοφία, θεολογία, alia sexcen-

---

[1] Tullius Cicero, *Timaeus sive de Universitate*, cap. 4, ed. Olivet, t. III, p. 592. Genovae 1758.

[2] Terentius Varro, *De lingua latina*, lib. 8-10, ed. Spengel, Berolini 1885.

[3] Seneca, *Epist. Moral.* lib. XX, epist. 3, n. 4, ed. Haase, t. III, p. 397. Lipsiae 1872.

ta; ita et verbum ἀναλογία, eodem sensu eademque frequentia eo utentes sicut graeci: licet S. Augustinus renitatur adhuc, cum dicit: «graecum nomen ἀναλογία..., nostri quidam *proportionem* vocaverunt, *quo nomine utamur, si placet*; non enim libenter, nisi necessitate, *graeca* vocabula in *latino* sermone usurpaverim» [1].

Ad inveniendam autem realem notionem seu definitionem analogiae, sicut et aliorum definibilium, duplex patet via: una inductiva seu compositiva vel per similitudines, quae pergit ascendendo ab inferioribus seu particularibus ad superius seu universale, quasi ab individuis ad speciem; alia deductiva seu divisiva vel per differentias, quae procedit descendendo a superioribus seu universalioribus ad inferius seu minus universale, quasi a genere ad speciem. Est enim species, quae proprie loquendo definitur, non genus neque individua.

Prima via facilior est et prior *quoad nos*; secunda vero difficilior, sed prior *quoad se*, certior tamen et efficacior. Incipiamus ergo a via *nobis* priori et faciliori.

§ I

INVESTIGATIO NOTIONIS ANALOGIAE PER VIAM INDUCTIVAM

799. Diversae significationes *reales* vel potius diversa significata *realia* verbi ἀναλογία sunt veluti totidem singularia eius, quae ideo se habent ad notionem communem et specificam analogiae ut individua ad speciem. Necesse est ergo has diversas *reales* significationes vel potius *res* significatas nomine ἀναλογία percurrere, examinare, colligere, comparare, ut videamus quodnam est *commune* omnium et *fundamentale* significatum: id enim erit veluti *specifica* significatio verbi ἀναλογία ideoque *res* significata per illud erit ipsa eius *species* vel *essentia*.

[1] S. Augustinus, *De Musica*, lib. I, cap. 12, n. 23, ML. 32, 1097.

Atqui nomen ἀναλογία *reali* significatione adhibetur et in mathematicis, et in philologia, et in scientiis experimentalibus, et in iuridicis disciplinis, et in philosophia, et in exegesi, et in theologia sacra.

800. *In mathematicis* quidem; nam, ut omnes norunt, nomen hoc primo inventum est et adhibitum a mathematicis ad significandam *habitudinem* quandam seu *relationem* commensurationis quantitatis ad quantitatem sive continuae ad continuam sive discretae ad discretam, nempe quatuor aut plurium quantitatum homogenearum inter se. Distinguunt enim mathematici rationem, λόγον; et proportionem, ἀναλογίαν. *Simplex ratio* est relatio seu habitudo commensurationis duarum quantitatum homogenearum; exempli gratia, senarii ad ternarium est ratio seu relatio dupli: *ratio* vero *composita* est ratio *duarum aut plurium* rationum, hoc est, relatio seu habitudo commensurationis duarum vel plurium rationum, et vocari solet *identitas* vel *aequalitas* duarum vel plurium rationum, v. gr., aequalis est ratio senarii ad ternarium et denarii ad quinarium, nempe ratio seu relatio dupli; sicut enim senarius est duplus ternarii, ita denarius est duplus quinarii. Et huiusmodi ratio composita seu aequalitas rationum proprie appellatur *proportio* seu ἀναλογία. Sive autem rationem sive proportionem distinguunt in arithmeticam et geometricam. Prima fit secundum partes *aliquantas*; alia, secundum partes *aliquotas*; et inde est quod proportionis arithmeticae ratio seu medium est *aequalitas absoluta*, κατ' ἰσότητα, dum proportionis geometricae est aequalitas tantum *relativa*, κατ' ἀναλογίαν [1]. Ita, eadem est ratio seu proportio *arithmetica* denarii ad septenarium, atque quinarii ad binarium, nempe idem seu aequalis excessus trium unitatum utrobique aequalitate *absoluta*; e contra, eadem est ratio seu proportio geometrica denarii ad quinarium sicut senarii ad ternarium vel quaternarii ad binarium, nempe ratio dupli; licet

[1] Aristoteles, *V Ethic. Nicom.*, cap. 5, n. 6, ed. Didot, II, 57, 49-50.

denarius excedat quinarium in quinque unitatibus, dum senarius ternarium in tribus et quaternarius binarium in duobus. Et haec proportio geometrica est quae primo et propriissime appellatur a mathematicis ἀναλογία. Qua de causa, rectissime Terentius Varro dixit ἀναλογίαν esse nomen geometrarum.

Et inde extensum est nomen proportionis seu analogiae ad mathematicam *applicatam*, quae dicitur, ut ad Opticam, ad Astronomiam, ad Musicam, ad Architecturam, ad Mechanicam, ad Dynamicam, ad alia sexcenta: hoc est, ad omnia quanta quoquomodo mensurabilia.

801. *In Philologia*, praesertim *comparata*, ubi similes flexiones diversarum linguarum eiusdem familiae pro singularum propria indole animadvertuntur: itemque in unaquaque lingua, ut patet in parte illa Grammaticae quae praecise dicitur *Analogia*.

802. *In Scientiis experimentalibus*, ut videmus in Anatomia, in Physiologia, in Psychologia comparata. Ita Cuvier, vi analogiae seu correlationis proportionalis organorum animalium, ex uno osse fossili Palaeotherii totum corpus eius restituit, et quidem vere, ut posterior adinventio Palaeotherii comprobavit. Praesertim vero considerantur in Biologia similitudines functionum organicarum, ex. gratia, trachia insecti, branchia piscis et pulmo mammiferi analogice conveniunt propter functiones similes seu proportionales quas exercent in his diversis speciebus animalium, nempe functionem respirationis: item brachia hominis, alae seu pennae avium et axilae piscium; similiter manus hominis et proboscis elephantis. Classicum exemplum est Aristotelis, qui os mammiferi et spinam piscis analoga vocat, propter functiones similes quas exercent. Et idem dic de aliis scientiis naturalibus. Ita Franklin ex similitudine fulguris cum scintilla electrica deduxit in atmosphaera electricitatem adesse esseque causam fulguris; Priestley, ex analogia quam observavit inter rubiginem seu ferruginem et effectus combustionis, conclusit omnem combustionem esse oxydationem quandam; ex analogia vel similitudine, quam physici observant inter modum productionis et diffusionis soni, lucis, caloris, electricitatis, concludunt haec omnia vel esse reapse eadem vel certe iisdem legibus regi. Atque generatim dici potest, ut iam animadvertit Aristoteles, processum analogicum esse veluti animam inductionis et venationis definitionum et hypotheseon scientificarum [1]. «Neque aliud fere est sagacitas illa, qua experrectae mentes veritatem propemodum odorantur venatuque studioso prosequuntur, quam facilitas quaedam et promptitudo analogias in analogiis detegendi detectasque applicandi, ampliandi, confirmandi» [2].

803. In *iuridicis* et *socialibus* disciplinis: sicut, tacente lege, similes solutiones similibus casibus adhibendae sunt, congrua congruis conferendo.

804. Ac similiter in *exegesi*, ut notarunt S. Ambrosius et S. Augustinus, datur ἀναλογία, «cum demonstratur *non sibi adversari* duo Testamenta, Vetus et Novum», sed potius «utriusque Testamenti *congruentia* perspicitur» [3]. Quae analogia postea extensa est ad singulas partes utriusque Testamenti, quae nedum adversari sed et apprime congruere sibi invicem debent. Unde S. Thomas docet analogiam exegeticam consistere in hoc, quod «veritas unius Scripturae ostenditur veritati alterius non repugnare» [4]. Et in hoc fundatur principium exegeseos catholicae, quod vulgo dicitur *analogia fidei*, qua ostenditur verum sensum Scripturae non solum non repugnare aliis Scripturae locis, sed neque aliis veritatibus catholicis sive per divinam traditionem sive per Ecclesiae

---

[1] *I Topic.*, cap. 16, nn. 8-12, ed. cit., I, 185-186.
[2] S. Tongiorgi, S.J., *Institutiones Philosophicae*[5], Logica, lib. IV, cap. 3, art. 2, n. 323, pp. 209-210. Bruxellis 1873.
[3] S. Augustinus, *De utilitate credendi*, cap. 3, nn. 5-6, ML. 42, 68-69.
[4] S. Thomas, *Summa theol.* I, 1, 10, ad 2.

Magisterium acceptis extra Scripturam ipsam[1]. Haec locutio *analogia fidei* est originis Paulinae: κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως (Rom. XII, 6).

805. At praesertim ἀναλογία seu proportio adhibetur *reali* significatione in disciplinis *philosophicis* et *theologicis*. Ita, *in Logica* dicimus: in praedicatis per se, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis et minus ad minus ideoque maxime ad maxime et minime ad minime[2], «sicut, si calidum calefacit, magis calidum magis calefacit et maxime calidum maxime calefacit» et minus calidum minus calefacit[3]. Eodem modo: ita se habent praemissae ad conclusionem sicut causa ad effectum, quia revera praemissae sunt causa efficiens conclusionis. Item: ita se habet syllogismus dialecticus ad opinionem sicut syllogismus apodicticus ad scientiam; quia dialecticus syllogismus est propria causa opinionis sicut apodicticus est propria causa scientiae.

806. *In Cosmologia*: sicut se habet materia secunda ad formam secundam seu accidentalem, ita se habet materia prima ad formam primam seu substantialem; generatio se habet ad alterationem sicut substantia ad accidens, quia revera generatio est mutatio substantialis, dum alteratio est mutatio accidentalis.

807. *In Psychologia*: sicut se habet sensus ad sensibile, ita se habet intellectus ad intelligibile, nempe in proportione propriae potentiae ad proprium obiectum; «sicut oculus est aliquid compositum ex pupilla sicut materia et visu sicut forma, ita animal est compositum ex anima sicut forma et ex corpore sicut materia»[4], et ideo «sicut visus est forma substantialis oculi et eo remoto non remanet oculus nisi aequivoce, ita anima est forma substantialis viventis corporis et ea remota non remanet corpus vivum nisi aequivoce: sicut enim se habet una pars animae sensitivae ad unam partem corporis sensitivi, sic se habet totus sensus ad totum corpus sensitivum in quantum huiusmodi»[1].

808. *In Ethica*: sicut se habet appetitus sensitivus ad sensum, ita se habet appetitus rationalis seu voluntas ad intellectum, nempe quia eodem genere causae sensus movet appetitum sensitivum et intellectus voluntatem. Sicut se habet Medicina ad corpus, ita se habet Ethica ad animam; quia sicut Medicina est scientia et ars sanandi corpus, ita Ethica est scientia et ars sanandi animam; et ideo sicut proprium est Medicinae considerare sanitatem et aegritudinem corporalem, ita proprium est Ethicae considerare virtutes et vitia animae, quae sunt veluti sanitas et aegritudo eius. Item: sicut se habet principium ad conclusiones in ordine intellectuali, ita se habet finis ad media in ordine morali, nempe in ratione causae et motivi. Pariter, sicut se habet robur ad corpus, ita se habet fortitudo ad animam. Quod optime explicat Seneca. «Qui sit, inquit, haec analogia, dicam: noveramus corporis sanitatem; ex hac cogitavimus esse aliquam et animi: noveramus corporis vires; ex his collegimus esse et animi robur»[2].

809. *In Politica*: «sicut se habet rector navis ad navem, ita rector civitatis ad civitatem, in hoc scilicet quod *uterque* eorum *non sorte sed arte* eligitur»[3]; sicut se habet athleta ad pugnam, ita dux exercitus ad bellum gerendum, quia scilicet uterque *peritus* esse debet ideoque non sorte eligendus[4]; «ut hostis, sic malus ci-

---

[1] Cf. Leo XIII, *Encyclica «Providentissimus»*, Denz. 1943; S. Pius X, *Iuriurandum contra modernistas*, Denz. 2146.
[2] Aristoteles, *V Topic.*, cap. 8, nn. 3-4.
[3] *III Contra Gent.*, cap. 27, arg. 7.
[4] S. Thomas, *In II de Anima*, lect. 2, ed. Pirotta, n. 241.

[1] *Ibid.*, n. 239.
[2] Seneca, *Op. et loc. cit.*, n. 5, p. 397.
[3] S. Albertus Magnus, *V Ethic.*, tract. II, cap. 5, ed. Borgnet, t. 7, p. 345.
[4] Aristoteles, *II Rhetor.*, cap. 20, n. 4, ed. cit. I, 370.

vis»[1], quia nempe uterque infensus est civitati; ita se habet homo sceleratus ad corpus sociale, sicut membrum putridum et corruptivum ad corpus physicum, et ideo sicut membrum illud laudabiliter et salubriter abscinditur non a quocumque sed a medico pro salute totius corporis physici, ita sceleratus homo laudabiliter et salubriter abscinditur a societate per occissionem non a quocumque exercendam sed ab auctoritate qui curam habet corporis socialis pro salute totius[2]: sicut se habent serenitas ad aërem et tranquillitas ad mare, ita se habet pax ad civitatem; quia sicut serenitas est *quies* aëris et tranquillitas est *quies* maris, ita pax est *quies* civitatis.

810. *In Metaphyhica*: ita se habet essentia ad esse in ente finito, sicut materia ad formam in ente mobili, nempe in eadem proportione potentiae ad actum; ita se habet ordo agentium sicut se habet ordo finium, nimirum prima et media et ultima causa efficiens se habent proportionaliter sicut finis ultimus et intermedius et proximus seu immediatus: «sicut se habet substantia ad esse sibi debitum, ita et qualitas ad esse sui generis conveniens»[3].

811. *In Theologia Sacra*: «sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus»[4], nempe unus unitate per se seu substantiali, non unitate per accidens seu mere accidentali, ut putabant nestoriani: non tamen unitate substantiali *naturae*, ut asserebant eutichiani, sed solum unitate substantiali personae, quae est unio *hypostatica*. Item: sicut Pater et Filius sunt unum unitate naturae, ita sancti sunt unum

---

[1] Quintilianus, *Iust. Orat.*, lib. V, cap. 11, n. 34, ed. Spalding t. II, p. 301.
[2] Cf S. Thomam, II-II, 64, 2-3.
[3] *III Sent.*, d. 1, q. 1, a. 1c ed. Moos, n. 12.
[4] *Symbolum «Quicumque»*, Denz. n. 40.

inter se et cum Deo unitate caritatis et gratiae; sicut Deus est perfectus perfectione naturae, ita nos debemus esse perfecti perfectione gratiae, utrique scilicet suo modo[1]. Similiter: ita se habet gratia ad animam, sicut anima se habet ad corpus; quia sicut anima est vita naturalis corporis, ita gratia est vita supernaturalis animae. Item: *sicut* «mens cognoscens seipsam verbum sui gignit et ex utroque procedit amor, *sic* Pater seipsum dicens Verbum suum genuit ab aeterno et ex utroque procedit Spiritus Sanctus»[2].

812. Hae igitur sunt principales significationes *reales* verbi ἀναλογία. Si autem eas comparemus inter se, apparebit ipsas non esse penitus diversas seu disparatas, ut homo et triangulus; neque penitus identicas seu aequales, ut animal dictum de equo et leone; sed *similes* seu *proportionales*, ut *lumen* corporale et *lumen* intellectuale, quatenus utrumque in suo ordine est principium obiectivum videndi seu cognoscendi.

Revera enim sive ratio sive proportio significant proprie loquendo relationem aequalitatis vel inaequalitatis inter duas vel quatuor vel plures quantitates: qua de causa, notat S. Thomas quod «proportio est passio seu proprietas quantitatis»[3]. Et quia *proprium* dicitur illud quod omni et soli et semper et conversim praedicatur de re cuius est, inde sequitur quod «ubicumque dicitur *quantum* aliquo modo, ibi potest dici *proportio*[4]. Est autem *ratio* in mathematicis certa *commensuratio* quantitatis per quantitatem secundum determinatam aequalitatem vel inaequalitatem: quae revera est *certa* ac *determinata* eius *cognitio*; quantitatem enim mathematicam *mensurare* est eam *cognoscere*. *Proportio* vero est aequalitas vel *similitudo* rationum seu commensuratio-

---

[1] Conc. Lateranense IV, cap. 2, Denz. 432.
[2] S. Thomas, *De Verit.*, q. 10, a. 7c.
[3] *In V Metaph.*, lect. 17, n. 1021.
[4] S. Thomas, *In librum Aristotelis de Sensu et Sensato*, lect. 7, n. 98.

num duarum vel plurium quantitatum ex una parte et duarum vel plurium ex alia, et ideo est et ipsa quaedam ulterior et mediata *commensuratio* quantitatum mensuratarum secundum aequalitatem absolutam vel proportionalem, prout agitur de proportione arithmetica vel geometrica: est ergo proportio mathematica quaedam mediata *cognitio certa* tamen ac *determinata* secundum modum suum.

Eodemque fere modo ratio et proportio extenduntur ad mathematicas applicatas. In quibus omnibus *essentiale* significatum *rationis* est *commensuratio*, sicut essentiale significatum *proportionis* est *similitudo* seu aequalitas quaedam relativa commensurationum; ac finaliter significatum *fundamentale* tam rationis quam proportionis est esse *cognitio* vel principium *cognitionis* quantitatum mensurabilium vel commensurabilium.

Ubicumque ergo invenitur similitudo quaedam inter diversa vi cuius unum ex alio determinari et quasi commensurari potest ideoque *cognosci*, ibi est formaliter ratio et proportio quaedam, licet materialiter non sit res quanta quantitate dimensiva mathematica. Et sic ratio et proportio extenduntur ad alias disciplinas praeter mathematicas, ad significandas scilicet easdem vel similes functiones vel potentias verborum similium, ut in Philología; vel organorum aut viventium similium, ut in Biologia et Physiologia; vel combinationum corporum chimicorum, ut in Chemia.

813. Praesertim vero extenditur ad omnes disciplinas philosophicas et theologicas vi similitudinis analogicae inter quantitatem dimensivam seu praedicamentalem, quam directe considerat Mathematica, et quantitatem virtualem seu intensivam vel transcendentalem, quam proprie respicit Philosophia et consequenter Theología. Sicut enim est duplex *unitas*: una mathematica et praedicamentalis, quae est principium numeri, et alia metaphysica seu transcendentalis, quae convertitur cum ente; ita etiam datur *multitudo* duplex et duplex quantitas: una mathematica et alia metaphysica vel transcendentalis, et «multtiudo sic accepta hoc modo se habet ad multa de quibus praedicatur, sicut unum quod convertitur cum ente ad ens» [1]: et similiter «duplex *divisio*: una *materialis*, quae fit secundum divisionem continui» seu quantitatis dimensivae, quae corporalium tantum est; et «alia est divisio *formalis*, quae fit per oppositas vel diversas *formas*» aut rationes formales, et hanc divisionem sequitur multitudo quae non est in aliquo genere [praedicamentali, nempe quantitatis], sed est de transcendentibus, secundum quod ens dividitur per unum et multa» [2].

Cuius ratio est, quia quantitas in *geometricis* —in quibus primo dicitur proportio seu analogia— consideratur formaliter sub ratione *figurae*, quae est *forma* quanti in quantum huiusmodi; in *physicis* autem, praesertim in *viventibus*, consideratur *quantitas* secundum rationem *perfectionis connaturalis*: «sicut enim cuilibet speciei debentur aliqua accidentia propria, ita et propria *quantitas*, licet cum aliqua latitudine propter diversitatem materiae et alias causas individuales; non enim omnes homines sunt unius quantitatis, sed tamen est aliqua quantitas tam magna ultra quam species humana non porrigitur, et alia quantitas tam parva ultra quam homo non invenitur» [3]. Quando ergo homo vel vivens pervenit ad debitam quantitatem sibi naturaliter debitam secundum propriam speciem, dicitur perfecte evolutus *physica perfectione* corporali, quae immediate dependet ex *perfecta* eius potentia seu *virtute augmentativa*. Id igitur quod *formale* et *essentiale* est in quantitate praedicamentali est *forma* et *perfectio* et *virtus* eius. Et hoc est quod *metaphysicus* considerat in hac corporali quantitate, omnino abstrahens ab eius dimensione: et sic pro-

[1] I, 30, 3c.
[2] *Ibid.*
[3] S. Thomas, *In II de Anima*, lect. 8, n. 332.

portionali similique modo extendit ad omnes formas et virtutes et perfectiones, nempe ad omne ens plenum et perfectum secundum essentiam, secundum esse vel secundum virtutem operativam [1]. Unde S. Thomas profunde dixit quod «*virtualis* quantitas non est ex genere suo quantitas, quia non dividitur divisione essentiae suae..., sed ex genere suo est vel *forma* accidentalis vel *forma* substantialis» [2] et quod «*in tot distinguitur quot sunt naturae vel formae*, quarum perfectionis modus totam mensuram quantitatis facit» [3]; nimirum quantitas haec transcendit praedicamentum quantitatis et vagatur per omnia genera sicut ens. Quo in sensu recte Aristoteles dixit praedicationem analogam circuire omne ens et omnes entis differentias: ἐν ἑκάστῃ γὰρ τοῦ ὄντος κατηγορίᾳ ἐστὶ τὸ ἀνάλογον [4].

Sicut ergo ratio et proportio in mathematicis erat determinata relatio seu habitudo commensurationis in eodem *genere* seu praedicamento quantitatis, ita ratio et proportio in metaphysica est relatio seu habitudo rerum quarumlibet convenientium in aliquo *ordine*, quomodocumque denique id fiat: quae sane metaphysica latitudo apprime respondet latitudini proportionis geometricae, quae primo dicta est ἀναλογία.

814. Ex quibus omnibus apparet analogiam universaliter sumptam, secundum formale ac fundamentale significatum *reale* diversarum acceptionum eius in diversis disciplinis, esse similitudinem rationum quarumcumque vi cuius ita se habet hoc ad hoc vel ab hoc vel in hoc, sicut illud ad illud vel ab illo vel in illo, v. gr.: ita se habet sensus ad sensibile sicut intellectus ad intelligibile; ita procedit sensatio a sensu sicut intellectio ab intellectu; ita est visus in oculo sicut intellectus in animo; ita est tranquillitas in mari sicut serenitas in aëre [1]: sive sint res et rationes eiusdem *generis*, ut in mathematicis, sive diversi generis dummodo sint quodammodo eiusdem *ordinis*, ut in philosophicis et theologicis.

[1] Cf. I, 42, 1 ad 1.
[2] *I Sent.*, d. 17, q. 2, a. 1c.
[3] *De Verit.*, q. 29, a. 3c.
[4] Aristoteles, *XIII Metaph.*, cap. 6, n. 8. II, 637, 52.

Hac tamen in re, ad vitandas aequivocationes, notanda est diversitas terminologiae apud Aristotelem et apud S. Thomam aliosque philosophos ac theologos scholasticos. Aristoteles, sicut Euclides quem sequitur, distinguit inter rationem et proportionem seu ἀναλογίαν quae semper fia inter duas vel plures rationes ideoque postulat saltem quatuor terminos: ἡ γὰρ ἀναλογία ἰσότης ἐστὶ λόγων, καὶ ἐν τέτταρσιν ἐλαχίστοις [2]. Et eodem modo auctores latini primo vertentes aut latinitate donantes verbum ἀναλογία, ut Tullius Cicero [3] et Terentius Varro, qui ait: «ex eodem genere quae res inter se aliqua parte dissimiles rationem habent aliquam, si ad eas duas alterae duae res collatae sunt, quae rationem habent eandem, quod ea verba bina habent eundem λόγον, dicitur utrumque separatim ἀνάλογον, simul collata quatuor ἀναλογία... Sic, cum dicimus eandem rationem habere assem ad simissem quam habet in argento libella ad semibellam, quid sit ἀνάλογον ostendimus; cum utrobique dicimus et in aere et in argento esse eandem rationem, tum dicimus de ἀναλογία» [4].

E contra, S. Thomas aliique veteres scholastici rationem simplicem, hoc est, inter duos terminos, appellant *proportionem*; compositam vero, idest inter quatuor saltem terminos vocant *proportionalitatem*: sive in mathematicis sive in metaphysicis et theologicis. Cuius causa videtur fuisse partim imperfecta versio Euclidis et Aristotelis, quae λόγος vertebatur *proportio*; partim influxus proportionis in rationem, quia etiam proportio

[1] Cf. Aristotelem, *I Topic.*, cap. 15, nn. 1-2, ed. cit. I, 184, 31-36; *IV Metaph.* VI, 15, II, 520, 34; *VIII Metaph.*, VI, 4, II, 568, 1213.
[2] *V Ethic. Nicom.*, cap. 3, n. 8; II, 55, 41-42.
[3] Tullius Cicero, *Timaeus*, cap. 5, ed. cit., pp. 592-593; cap. 7, p. 595.
[4] Terentius Varro, *De lingua latina*, lib. X, §§ 37-38, ed. cit., pp. 248-249.

est quaedam ratio. Qua de causa, S. Thomas unam proportionem non semper eodem modo sumit. Quandoque enim sumit *proprie et stricte* pro certa et determinata habitudine commensurationis inter duos terminos, quae ideo essentialiter postulat duas conditiones simul: a) quod sit habitudo inter duos terminos tantum; b) quod haec habitudo sit certa et determinata seu finita, ob finitam seu determinatam distantiam inter eos. Quandoque vero sumit large, quando scilicet una vel altera ex his conditionibus adest, licet alia desit: et sic nonnumquam appellat proportionem habitudinem inter duos terminos, quamvis sint infinite distantes, dummodo conveniant in aliquo ordine; aliquando autem habitudinem inter quatuor vel plures terminos, dummodo sint finite seu determinate distantes. Et hac ratione quandoque negat proportionem inter creaturam et Creatorem, quandoque affirmat. Quod etiam in sensu S. Augustinus scripserat: «non dico Pater memoria est, Filius intellectus est, Spiritus voluntas est; non dico, quomodolibet intelligatur, non audeo. Servemus maiora sapientibus, infirmis infirmi insinuamus quod possumus. Non dico ista illi Trinitati *velut aequanda, quasi ad analogiam*, idest ad rationem quandam comparationis dirigenda»[1]. At inde venit quod S. Thomas aliique scholastici distinguant *analogiam* duplicem: unam *proportionis*, aliam *proportionalitatis*.

Paulo aliter S. Albertus Magnus loquitur, qui difficultatem hanc terminologiae sensiisse videtur. Iuxta ipsum ergo, proprie loquendo, distinguere oportet inter similitudinem, proportionem et proportionalitatem: «*similitudo* inter *duo* est; *proportio* inter *quatuor*; et *proportionalitas* inter *octo* et aliquando inter *decem*, si producatur proportionalitas, ut non tantum attendatur inter *partes et partes* sed etiam inter constitutum *totum*

---

[1] S. Augustinus, *Sermo* 52, cap. 10, n. 23, ML. 38, 364.

ex primo et secundo et inter constitutum *totum* ex tertio et quarto»[1].

Rectius Caietanus pro eodem sumit proportionem et proportionalitatem, cum ait: «analogiae igitur vocabulum proportionem *sive* proportionalitatem, *ut a graecis accepimus*, in proposito sonat»[2], loco proportionis in ratione metaphyisca ponens *attributionem*, sicut iam pridem fecerat Averroes. Omnes tamen in hoc consentiunt, ἀναλογίαν sensu proprio et perfecto esse *proportionalitatem* ac postulare saltem quatuor terminos, ac significare universaliter quamcumque similitudinem habitudinum inter res quascumque.

§ II

Investigatio notionis analogiae per viam deductivam

815. Ex modo dictis apparet Analogiam praeseferre quandam *universalitatem* ideoque nomen analogum esse nomen *commune* seu *universale*; nam proportio seu comparatio, quam significat, est essentialiter inter *plura*. Et «quia via ad inveniendum definitiones convenientissima est *per divisiones*»[3] seu *differentias*, quae idcirco appellatur *descensiva seu deductiva* quasi a genere ad speciem, ideo ad obtinendum exactam certamque definitionem analogiae, necesse est distinguere seu dividere modos quibus nomen aliquod potest dici universale seu commune.

Atqui «tribus modis contingit aliquid aliquibus commune esse: vel univoce, vel aequivoce, vel analogice»[4]. Aut enim commune nomen dicitur de inferioribus sub eo contentis uno prorsus modo, μοναχῶς, hoc est, secun-

---

[1] S. Albertus Magnus, *In V Ethic. Nicom.*, tract. II, cap. 5, ed. cit., t. 7, p. 345.
[2] Caietanus, *De nominum analogia*, cap. 1, n. 2, ed. cit., p. 4.
[3] S. Thomas, *In III Physic.*, lect. 1, n. 5.
[4] S. Thomas, *I Sent.*, d. 35, q. 1, a. 4c.

dum rationem vel significationem omnino eandem, sicut nomen *animal* de cane et equo et bove dictum in quantum animalia significat omnino idem, nempe substantiam animatam sensitivam —et tunc est nomen *univocum*, συνώνυμον—; aut non uno modo sed pluribus, πολλαχῶς, idest secundum rationem vel significationem non eandem omnino sed diversam, ut nomen *sanum*, cum dicitur de animali sano et de cibo sano et de medicina sana et de aëre sano et de colore sano, non significat omnino idem sed rationes valde diversas, nempe *subiectum* sanitatis (animal) vel *causam* sanitatis (cibus sanus, aër sanus) vel *conservativum* sanitatis (medicina) vel *signum* sanitatis (color sanus), quae diversae res, *in quantum sanae*, rationes important valde diversas —et tunc est nomen *aequivocum*, ὁμώνυμον—: quo quidem in casu, vel significat rationem *omnino diversam* in suis inferioribus, hoc est, *penitus disparatam*, ut nomen *gallus* cum dicitur de cive Galliae et de specie avis quae appellatur gallinacea vel, ut ait Aristoteles, si nomen *Callias* diceretur et homo et Lignum [1], et sic est nomen *pure aequivocum*, quod etiam appellatur aequivocum a casu, ὁμώνυμον ἀπὸ τύχης, quia *casu* accidit vel *fortuna* ut idem materialiter nomen diversis rebus significandis imponatur absque ulla relatione dependentiae vel communicationis —qua de causa hoc nomen est casualiter et verbotenus tantum universale—; vel significat rationem *non omnino diversam et disparatam*, sed *medio quodam modo*, hoc est, partim eandem et partim diversam, quia significant diversas proportiones similes ideoque in aliquo uno convenientes, sicut nomen *pes* cum dicitur de pede animalis et de pede scamni et de pede versus, ubi sunt duae significationes proportionales, nam, cum dicitur de pede animalis et de pede scamni, intelligitur basis et sustentaculum proportionale utrisque; cum vero dicitur de pede hominis et de pede versus, intelligitur

[1] Aristoteles, *I Metaph.*, cap. 9, n. 5, II, 482, 46-49; *XI Metaph.*, cap. 4, n. 10, II, 20-22.

mensura quaedam quantitatis corporalis continuae et proportionalis mensura quantitatis verborum et syllabarum in poësi, et sic est nomen *non pure aequivocum*, sed aequivocum *a consilio*, ὁμώνυμον ἀπὸ διανοίας, quia *consilio et ratione* evenit ut idem nomen de diversis dicatur propter aliquam similitudinem vel dependentiam vel relationem, ut patet in exemplo allato, quasi *medium* inter pure aequivocum et pure univocum, et est praecise nomen *analogum*. Est ergo analogia essentialiter *media* inter puram univocationem et aequivocationem puram, quasi significans essentialiter plura non secundum rationem totaliter eandem et aequalem, ut univocum neque secundum rationes totaliter diversas et disparatas, sicut pure aequivocum, sed secundum rationes proportionales, hoc est, similes et affines secundum propriam rationem uniuscuiusque.

816. Iam vero medium, ratione sui, *naturam utriusque extremi aliquo modo participare debet*. Oportet ergo determinare secundum quam rationem vel mensuram analogum participat univocationem et aequivocationem puram, hoc est, *identitatem* univocationis et *diversitatem* purae aequivocationis.

Atqui huiusmodi participatio dupliciter tantum intelligi potest: aut quod utrumque extremum ex aequo participet, aut inaequaliter.

Constat autem *non posse aequaliter* participare extrema univocationis et aequivocationis purae. Si enim ita esset, deberet analogum necessario in se includere vel *totam simul* rationem utriusque extremi, vel *partem aequalem* unius et partem aequalem alterius. At vero neutrum dici potest.

Non primum, tum quia rationes illae sunt *directe contrariae* —ratio *totaliter* eadem et ratio *totaliter* diversa—; contraria autem presse sumpta mutuo se expellunt ab eodem subiecto et ab eodem conceptu obiectivo:

tum etiam quia hoc esset contra rationem formalem medii, quae non est *mera iuxtapositio extremorum*, ut accideret in hac hypothesi.

Neque alterum, quia non possent constituere unum per se intelligibile. Nam elementa omnino aequalia et quasi in aequilibrio necessario posita, essent plura ut plura. Sed plura ut plura non possunt simul per se intelligi, sed solum plura ut unum vel ad unam quandam rationem reducta: et tamen definitio, cum sit principium intelligendi omnia quae rei definitae conveniunt, debet esse maxime intelligibilis: ac revera plura analogata, ut talia, simul intelliguntur, v. gr., punctum, aurora, et causa simul intelliguntur quatenus conveniunt in una simili ratione *principii* lineae, diei, effectus: sicut enim punctum est principium lineae, ita aurora est principium diei et causa est principium sui effectus.

817. Admittendum est ergo *secundum membrum* disiunctionis, quod scilicet analogum participet extrema illa *inaequaliter* seu quod plus accedat ad unum extremum quam ad alterum. Hoc autem supposito, duplex casus fingi potest: aut quod plus participet *identitatem* rationis univocitatis et minus *diversitatem* rationis aequivocitatis purae, et tunc analoga definirentur: *ea, quorum nomen est unum, sed ratio significata per nomen est simpliciter eadem et secundum quid diversa*; aut quod ex adverso plus participet *diversitatem* rationis aequivocitatis purae et minus *identitatem* rationis univocitatis, quo in casu analoga definerentur: *ea, quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est simpliciter diversa et secundum quid eadem.*

Atqui *primum dici non potest*. Nam diversitas *secundum quid* potest revera esse diversitas *minima*, hoc est, non essentialis sed mere accidentalis; et sic minima differentia, etiam accidentalis, sufficeret ad analogiam constituendam et ad univocitatem destruendam: quo in casu, nulla maneret amplius vera univocitas in rebus. Univoca enim presse sumpta dicuntur universalia, hoc est, genera et species. At vero *genera* non stant in indivisibili, sed latitudinem magnam admittunt, eo quod ex materia vel potentia, quae *indeterminationem* importat, sumuntur: *species* quoque sub eodem genere contentae non sunt aequalis perfectionis, sed dicuntur secundum magis et minus; semper enim differentia specifica unde sumitur divisio generis et constitutio speciei est magis perfecta in uno membro quam in altero, sicut rationalitas est magis perfecta quam hinnibilitas, et ideo sub genere animalis perfectior species est homo quam equus. Qua de causa, ut lepide arguebat S. Augustinus contra Stoicos, elephas et musca sunt *aequaliter* animalia, sed *non aequalia* animalia.

818. Remanet igitur, ut unice verum et possibile, *aliud membrum dilemmatis*, scilicet quod analogum plus accedat ad extremum aequivocationis quam univocationis, ideoque potius sit reducendum —reductione quidem impropria et imperfecta— ad aequivocum quam ad univocum. Revera enim analogum significat rationem formaliter seu essentialiter diversam propria sua essentiali significatione communi, licet proportionaliter eandem vel similem secundum proportionem in omnibus et singulis analogatis de quibus praedicatur, sicut nomen *claritatis* diversam rationem licet proportionalem in unoque significat quando dicitur color clarus, vox clara, propositio clara, oculus clarus, intellectus clarus; et similiter nomen *acuitas*, prout dicitur de angulo acuto, de voce acuta, de intellectu acuto; vel sicut nomen *serra*, cum dicitur de serra ferrea et de serra lignea et de serra picta, nam serra lignea vel picta non secat sicut ferrea, sed est imago quaedam serrae, ὥς εἰκων, ut exemplo utar Aristotelis [1]. Diversitas autem vel minima in ipsa ratione essentiali communi facit diversitatem simpliciter, sicut

[1] *IV Meteorol.*, cap. 12, nn. 3-5, III, 625, 22-39.

«ad pulchritudinem hominis requiritur quod omnia membra consonent, ad turpitudinem vero sufficit unius membri, puta oculorum [vel narium] deformitas»[1]. Et propter hoc Aristoteles et S. Thomas ceterique peripatetici analogum reducunt ad aequivocum potius quam ad univocum, propter maiorem affinitatem ad ipsum, licet restringant et mitigent diversitatem aequivoci puri, dicentes quod est aequivocum a consilio, ἀπὸ διανοίας.

Iure igitur S. Albertus Magnus dicit quod «hoc nomen non est simpliciter unum, sed *simpliciter est multa et secundum quid unum*»[2]. Itaque concludendum est hanc esse veram realemque definitionem analogorum: *ea, quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est simpliciter diversa et secundum quid eadem,* scilicet *non absolute eadem sed solum proportionaliter,* eo fere modo, quo se habebant rationes proportionis geometricae; seu, et in idem redit: *unius eiusdemque nominis ratio vel significatio formalis communis pluribus in sensu simpliciter multiplici ac diverso, uno tamen proportionaliter vel secundum quid pro sua quaque parte.*

819. Cuius definitionis bonitas potest insuper *positive comprobari* sequenti argumento: illa est bona definitio analogiae, qua haec perfecte constituitur in seipsa et a ceteris distinguitur; est enim de ratione bonae definitionis ut per eam res definita perfecte constituatur in seipsa et a ceteris distinguatur. Atqui praedicta definitione analogia perfecte constituitur in seipsa et a ceteris distinguitur.

Distinguitur quidem *a ceteris*; nam per hoc quod dicitur: *unius eiusdemque nominis,* differt analogia ab heteronymia et a polynomia, quae vel *plures res* diverso sensu *diversoque nomine* significat, ut domus et cala-

[1] CAIETANUS, *In Praedicamenta Aristotelis,* cap. 1, fol. 15, col. 2, Venetiis 1554.
[2] S. ALBERTUS MAGNUS, *In I Post. Analyt.* tract. II, cap. 13, ed. cit., t. II, p. 50b in fine.

mus; vel diverso nomine *eandem rem,* ut gladium et ensis: et convenit cum univocis et pure aequivocis, quae idem nomen retinent. Cum vero additur: *ratio vel significatio formalis communis pluribus,* secernitur a pure aequivocis, quae non habent nisi nomen commune, sed ratio vel significatio formalis est omnino singularis et primo diversa in unoquoque cui nomen attribuitur, ut nomen *canis* cum dicitur de animali et de constellatione: et convenit cum univocis, quia tam univoca quam analoga et nomen et significationem formalem habent pluribus communem. Denique, cum dicitur: *in sensu simpliciter diverso ac multiplici simulque eodem proportionaliter vel secundum quid,* differt analogia ab univocis, quae de pluribus secundum eandem omnino rationem seu formalem significationem dicuntur, ut animal eodem omnino sensu dicitur de homine et de cane, ita ut, secundum quod animalia, eandem omnino definitionem habeant homo et canis, nempe substantia animata sensitiva; sed analoga in ipsamet ratione vel significatione formali communi habent diversitatem, ut significatio entis diversa est in ipsamet ratione entis secundum quod dicitur de substantia et de accidenti, et «propter hoc ens non potest esse genus [=univocum] substantiae et accidenti; quia in ipsa ratione [communi] entis, substantia, quae est ens per se, prioritatem habet respectu accidentis, quod est ens per aliud et in alio»[1].

Similiter per hanc formulationem optime exprimitur *ipsa essentia analogiae, qua in seipsa perfecte constituitur.* Dictum est enim analogiam essentialiter *mediam* consistere inter aequivocationem puram et univocitatem; ergo formalis eius constitutio ponenda est in hac *medietate* plus aequivoca quam univoca. Hoc autem perfecte significatur in formula praedicta. Nam ratio universalis *medietatis* stat in sensu simul uno et diverso quem analogum nomen praesefert, quatenus per *unita-*

[1] S. THOMAS, *In I Periherm.,* lect. 8, n. 6.

tem accedit ad univocationem et recedit a pura aequivocatione, et per *diversitatem* recedit ab univocitate et accedit ad aequivocationem: atque utrumque simul innuunt illa verba: in sensu simpliciter *diverso* et secundum quid *eodem*.

Ratio vero *propria et specialis* huius medietatis consistit in maiori accessu ad aequivocationem et maiori participatione diversitatis eius quam unitatis univocorum, et hoc exprimunt verba illa: in sensu *simpliciter* diverso et secundum eodem.

Praedicta ergo formula continet perfectam definitionem seu potius descriptionem analogiae.

Art. 2.- Divisio analogiae

820. Divisio analogiae sumenda est ex ipsamet eius natura prout hucusque determinata est: est enim haec lex fundamentalis divisionis, ut fiat secundum naturam rei dividendae. Iam vero analogia metaphysice sumpta, de qua nunc loquimur, est ex una parte similis seu analoga analogiae seu proportioni geometricae, ut patet ex dictis; ex alia vero dicit formaliter rationes multas et diversas adunatas tamen in aliqua una proportionali. Consequenter divisio per se analogiae metaphysicae ita debet proportionari divisioni proportionis geometricae, ut tamen simul retineat modum suum proprium significandi diversas rationes sub quadam unitate proportionali.

Atqui divisio per se proportionis geometricae, secundum quod primo dicitur in numeris, est «vel secundum comparationem numeri ad numerum, καθ' ἀριθμόν πρὸς ἀριθμόν; vel secundum comparationem numeri ad unum, καθ' ἀριθμόν πρὸς ἕν [1]: numerus autem se habet ad numerum ut multa ad multa seu ut plura ad plura, quia de ratione numeri est ut contineat plures unitates; ad unitatem vero se habet numerus ut plura ad unum. Ergo et proportio metaphysica seu analogia debet primo et per se dividi in analogiam multorum ad multa et in analogiam multorum ad unum.

[1] S. Thomas, *In V Metaph.*, lect. 17, n. 1006; Aristoteles, *IV Metaph.*, cap. 15, n. 2; II, 526, 20 sqq.

821. Rursus, quia numerus distinguitur in determinatum seu finitum et indeterminatum seu infinitum, ὡρισμένως καὶ ἀωρισμένως [1], proportio geometrica plurium ad plura subdividitur in finitam, commensurabilem, determinatam, rationabilem, et infinitam, incommensurabilem, indeterminatam, irrationabilem. Ergo et simili modo proportio metaphysica plurium ad plura seu multorum ad multa subdistingui debet in proportionem finitam seu commensurabilem et infinitam seu incommensurabilem: quod quidem accidit quando inter rationes comparatas est infinita distantia seu dissimilitudo una cum proportionali similitudine. Licet enim finiti ad infinitum nulla sit ratio seu commensuratio, potest tamen esse proportio seu proportionalitas, quia «sicut infinitum est aequale infinito, ita finitum finito; et per hunc modum est similitudo inter creaturam et Deum, quia sicut se habet Deus ad ea quae ei competunt, ita creatura ad sua propria» [2]: «talis enim similitudo similiter invenitur in multum vel parum distantibus; non enim est maior similitudo proportionalitatis inter duo et unum et sex et tria, quam inter duo et unum et centum et quinquaginta. Et ideo infinita distantia creaturae ad Deum similitudinem praedictam non tollit» [3].

Consequenter plures rationes diversae simpliciter simulque una proportionaliter, quae formaliter significantur per nomen analogum, aut habent hanc unitatem proportionalem *ex uno* termino simpliciter ad quem referun-

[1] Aristoteles, *IV Metaph.*, cap. 15, nn. 2-3, II, 526, 40-48.
[2] S. Thomas, *De Verit.*, q. 23, a. 7, ad 9.
[3] *De Verit.*, q. 2, a. 11, ad 4. Cf. *IV Sent.*, d. 49, q. 2, a. 1 ad 6.

tur, aut *ex simili* proportione ad plures terminos *similes* ideoque secundum rationem formalem *proportionaliter unam*; hoc est, aut habent unitatem proportionalem per relationem dependentiae ab aliquo uno extra ipsas, a quo ideo habent unitatem termini; aut sine formali relatione dependentiae ab aliquo uno extra, sed per seipsas quatenus sunt proportionaliter similes natura sua. In primo casu dicitur analogia *attributionis* seu *pure logica*, quam S. Thomas appellat *secundum intentionem tantum* [1], hoc est, *secundum purum respectum* ad terminum unum, a quo inferiora analogata formaliter denominantur talia: tunc enim *ratio* significata per nomen analogum invenitur intrinsece et formaliter *in uno solo*, quod dicitur analogatum *princeps*; in ceteris vero, quae dicuntur analogata secundaria, ratio illa mere extrinsece et denominative reperitur, ita ut haec analogata, *ut talia*, significent purum respectum seu relationem ad illud unum principale [2], sicut *ratio sani* secundum quod dicitur de pulsu *sano* vel de colore *sano* est esse *mera relatio signi* sanitatis animalis: in secundo vero dicitur analogia *proportionalitatis* seu *metaphysica*, quam S. Thomas vocat *secundum intentionem et secundum esse simul* [3], hoc est, secundum formam intrinsecam proportionaliter unam, inventam in omnibus et singulis analogatis, a qua formaliter denominantur talia, sicut ratio entis realis secundum quod dicitur de substantia et de accidenti.

Sic ergo analogia philosophica —et consequenter theologica— adaequate et immediate dividitur in analogiam *attributionis* et analogiam *proportionalitatis*.

822. Sunt analoga *analogia attributionis* illa, quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est *simul una* eademque secundum terminum et *diversa* secundum diversas habitudines vel relationes ad illum a quo habent unitatem quandam proportionalem: et hoc ideo, quia ratio significata per nomen analogum est formaliter et intrinsece in uno tantum, nempe in termino; in aliis vero est solum extrinsece et denominative ab illo vel ad illud, secundum relationes seu habitudines simpliciter diversas, adunatas tamen proportionaliter in earum termino communi. Ex. gratia, *sanctum* est nomen analogum analogia attributionis cum dicimus: persona sancta, liber sanctus, vestis sancta, conversatio sancta, locus sanctus, ossa (=reliquiae) sancta: evidenter enim sanctitas non invenitur intrinsece et formaliter nisi in persona sancta, quae est proprium subiectum sanctitatis; in ceteris vero non invenitur nisi extrinsece et denominative, sicut in signo vel in causa sanctitatis personae.

[1] *I Sent.*, d. 19, q. 5, a. 2, ad 1.
[2] Cf. *De Verit.*, q. 21, a. 4 ad 2; a. 6c; *De Pot.* q. 3, a. 5.
[3] *I Sent.*, loc. cit.

Dicitur autem haec analogia *attributionis*, tum quia diversae rationes unaquaeque suo modo *attribuuntur* uni termino principali, qui ideo appellatur subiectum attributionis; tum etiam quia ratio illa una significata per nomen analogum diversimode diversis analogatis convenit ideoque *tribuitur*, ita ut eis quasi *distribuatur* eo fere modo quo ratio geometrica suis proportionatis vel quo medium iustitiae *distributivae* diversis personis *tribuitur*. Quae denominatio ortum duxit ex Averroë, a quo S. Thomas ceterique scholastici mutuo acceperunt.

823. At haec analogia non stat in indivisibili, sed plures modos suscipere valet, qui distingui possunt ex duplici capite, nempe ex parte numeri eorum *quae* attribuuntur uni termino, vel ex parte ipsius termini *cui* attribuuntur. Prima consideratio est *materialis*; secunda, *formalis*; nam terminus in relatione se habet ut formalis et specificativus.

Materialiter ergo analogia attributionis dividitur in duos modos, scilicet in analogiam *unius* ad unum et in analogiam *plurium* ad unum: *unius ad unum*, sicut ratio

sani dicitur de ambulatione sana secundum ordinem ad sanitatem animalis in quantum est causativa vel conservativa sanitatis animalis; vel sicut ens dicitur de accidenti secundum ordinem ad substantiam; *plurium ad unum*, sicut ratio sani dicitur de cibo sano et de colore sano et de ambulatione sana secundum diversum respectum vel attributionem ad sanitatem animalis, prout cibus sanus est causa sanitatis animalis, ambulatio sana est eius conservativa, color sanus est eius signum; vel sicut ratio entis dicitur de quantitate et qualitate et relatione in ordine ad substantiam, prout quantitas est extensiva substantiae, qualitas modificativa, relatio comparativa eiusdem substantiae.

Formaliter vero analogia attributionis dividitur in quatuor modos secundum quatuor genera causarum, sumendo large causam materialem et formalem pro subiecto et pro forma extrinseca seu exemplari; eo enim ipso quod haec analogia sumitur secundum denominationem extrinsecam ex aliquo uno, divisio eius debet fieri secndum causas proprie aut large extrinsecas.

Sane quidem, huiusmodi analogica attributio aut fit *ab* uno aut *ad* unum: ἀφ’ ἑνὸς et πρὸς ἕν vel καθ’ ἕν ut ait Aristoteles[1]. Si *ab* uno, aut secundum causalitatem *efficientem*, quae est causa extrinseca *proprie* dicta; aut secundum causalitatem *quasi materialem*, prout est idem ac *subiectum in quo* vel *cui et non ex quo*, et sic est causa extrinseca large dicta, quia subiectum non est pars accidentis sicut materia est pars compositi; si *ad* unum, aut secundum causalitatem *finalem*, quae est *proprie* causa extrinseca; aut secundum causalitatem *exemplarem*, quae est causa formalis large dicta ideoque non est pars essentiae compositae sicut forma, sed est causa *quasi formalis* extrinseca.

824. Secundum causalitatem *efficientem* haec analogia maxime verificatur *in causis per se ordinatis*, quarum secunda pendet a prima essentialiter seu in causando ideoque causalitas efficiens dicitur de eis diversimode et inaequaliter, hoc est, secundum prius et posterius. Ita, relative ad *sanitatem causandam*, causa propria est scientia vel ars sanandi per modum veri habitus; dein, habilitas quaedam seu dispositio ad artem sanadi, sive sit naturalis sive acquisita; postea instrumenta medicalia tum observationis animalis sanandi tum applicationis artis medicalis ad sanandum vel etiam pharmaca aegroto porrecta: his enim diversimode convenit esse *causa* sanitatis, scilicet perfective, dispositive, instrumentaliter. Similiter in arte aedificativa, homo per animam suam movet voluntatem ad aedificandum, quae movet brachium, quod movet manum, quae movet baculum, qui movet lapidem et loco debito ponit[1]. Pariter, in ordine supernaturali productionis *gratiae* Deus est causa eius et Humanitas Christi et Sacramenta Novae Legis et merita nostra seu actus nostri meritorii; diversimode tamen in ipsamet ratione causali: quaedam enim sunt causa gratiae *perfective et physice*, ut Deus et Humanitas Christi et Sacramenta Novae Legis; alia *dispositive* tantum et *moraliter*, ut merita nostra de condigno, si agatur de productione augmenti gratiae seu gratiae secundae: et quidem priora adhuc diversimode, quia quaedam per modum causae propriae et principalis, ut Deus; alia vero per modum causae instrumentalis tantum, ut Humanitas Christi et Sacramenta Novae Legis: in quibus tandem modus diversus invenitur, quia quaedam per modm instrumenti coniuncti, ut Humanitas Christi; alia per modum instrumenti separati, ut Sacramenta Novae Legis. Haec enim omnia dicuntur diversimode causare eundem effectum, puta sanitatem vel domum vel gratiam, secundum diversam relationem dependentiae a propria et principali causa et secundum diversum modum participandi virtutem causalem eius. Ut

[1] *I Ethic. Nicom.* VI, 12, II, 5, 14-15.

[1] Cf. S. Thomam, *De Verit.*, q. 2, a. 8c.

enim docet egregie S. Thomas, «cum aliquid invenitur a pluribus *diversimode* participatum, oportet quod ab eo in quo *perfectissime* invenitur, *attribuatur* omnibus illis in quibus *imperfectius* invenitur; nam ea quae positive secundum magis et minus dicuntur, hoc habent ex accessu remotiori vel propinquiori *ad* aliquid unum: si enim unicuique eorum ex seipso illud conveniret, non esset ratio cur perfectius in uno quam in alio inveniretur»[1].

Iure igitur S. Albertus Magnus utramque analogiam secundum causam efficientem, et ordinis naturalis, et ordinis supernaturalis, simul iungens, scribit: «dicimus enim quod medicus sanat, et medicina, et clyster, et embutum: sed medicus effective, et medicina sicut virtus coniuncta naturae, et clyster sicut instrumentum ponens medicinam in locum debitum; et *ita* se habent in curatione animae Deus, et gratia et sacramentum»[2].

825. Secundum causalitatem *finalem* similiter haec analogia potissimum verificatur *in finibus per se ordinatis*, quorum secundus pendet a primo essentialiter seu in finalizando. Ita, in ordine ad sanitatem animalis, quae est finis medicinalis, appellatur medicus ut aegrotum visitet, visitat autem ut examen aegroti faciat et diagnosim aegritudinis perficiat, quae fit ut remedium aptum praescribat, v. gr. potionem purgativam, quae aegroto porrigitur ut purgetur, purgatur autem ut minuatur, minuitur vero ut sanetur: tunc enim sanitas est finis et minutionis et purgationis et potionis et praescriptionis medicalis et diagnoseos aegritudinis et visitationis medici et appellationis eius, atque ideo ordo seu relatio ad unam sanitatem animalis debet poni in ratione seu definitione omnium praecedentium.

Similiter sub spe theologica cadit salus aeterna seu beatitudo supernaturalis primario et per se ut finis: secundario vero et ad hunc finem omnia media ad ipsum conducentia et quidem eo modo et ordine quo ad talem finem nata sunt conducere. Quaedam enim ordinant proxime, ut media supernaturalia; alia remote, ut media naturalia. Et quidem utrobique, alia per se et directe; alia per accidens et indirecte. Sic directe et immediate ordinant actus meritorii, qui sunt actus eliciti vel imperati a caritate; deinde principia horum actuum, ut caritas et virtutes infusae et gratia tum habitualis tum actualis; indirecte vero et quasi per accidens, per modum removentis prohibens, vitatio peccati tum mortalis tum venialis; dein, vitatio tentationum ad peccandum: remote vero et mere instrumentaliter sub mediis supernaturalibus, bona vel mala ordinis naturalis, tum ordinis moralis tum ordinis physici. Ut enim dicit Apostolus, «diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum»[1] proxime vel remote, per se vel per accidens, secundum quod cadunt sub Deo ordinante et praedestinante, cui proprie convenit dare beatiudinem[2].

Et idem dic de diversis obiectis materialibus fidei et caritatis[3]: in his enim datur essentialiter ordo quidam secundum prius et posterius ad primarium obiectum, quod est subiectum attributionis et finis.

826. Secundum genus causae *quasi materialis* vel *subiecti* tunc inhaesionis tum praedicationis, praesertim in attributionibus seu praedicationibus per se. Sicut enim sub aliqua potentia vel habitu primo cadit obiectum proprium, deinde obiectum commune, tertio obiectum per accidens: ita alicui subiecto primo conveniunt praedicata seu attributa propria, dein attributa communia, postremo attributa per accidens. Sic accidentia non conveniunt substantiae ex aequo, sed secundum prius et posterius; nam primo sunt accidentia absoluta et

---

[1] *De Pot.*, q. 3, a. 5c.
[2] S. Albertus Magnus, *IV Sent.* d. 13, a. 10, ad 4, ed. cit., t. 29, p. 349b.

[1] *Rom.* 8, 28.
[2] Cf. S. Thomam, II-II, 17, 2; 83, 9.
[3] II-II, q. 1, a. 1c; q. 26, a. 1.

inhaerentia, ut quantitas et qualitas; deinde, accidentia relativa et adiacentia, ut relatio et alia huiusmodi. Proportionali modo, circumstantiae actus humani, quae sunt quasi quaedam accidentia eius, diversimode afficiunt et modificant ipsum; et propterea quaedam sunt principales, ut circumstantia cum et circa quid; aliae vero sunt secundariae seu minus principales, secundum quod magis vel minus ad has appropinquant [1]. Simili modo potentiae animae intelliguntur ex ea naturaliter quasi dimanare eamque afficere ut primum et proprium ordine quodam prioris et posterioris: nam primo intelliguntur potentiae anorganicae seu spirituales, quarum ipsa anima non solum est propria causa sed et proprium subiectum inhaesionis; deinde, potentiae organicae, quarum ipsa anima est propria causa, licet non sit proprium subiectum, cum hoc sit totum compositum animatum: et quidem utrobique primo intelliguntur potentiae apprehensive, ut intellectus vel sensus; deinde potentiae appetitivae correspondentes. Et quia virtutes infusae se habent ad gratiam habitualem sicut potentiae naturales ad animam, in emanatione et relatione attributionis virtutum infusarum ad gratiam habitualem datur ordo quidam, ut primo sint virtutes theologicae, deinde dona Spiritus Sancti, tertio virtutes morales infusae: et in unaquaque serie suo modo et ordine.

827. Secundum genus causalitatis *exemplaris* haec analogia contingit quando una eademque res seu exemplar diversimode repraesentatur seu imitatur a diversis, sicut unius eiusdemque rei cognitae aliter representatur et significatur per conceptus seu verbum mentis, aliter per imaginationem seu verbum imaginationis, aliter per os seu verbum oris: nam per verbum mentis repraesentatur sicut per signum naturale formale; per verbum imaginationis sicut per signum naturale instrumentale; per verbum oris sicut per signum artificiale instrumentale. Patet autem rationem signi convenire prius et posterius seu analogice signo naturali et signo artificiali seu ad placitum; ac similiter signo formali et signo instrumentali.

[1] Cf. I-II, 7, 4.

Item diversimode est imago patris filius eius et pictura vel statua ipsius et umbra eius.

Et ut exemplum ponam theologicum, alia est repraesentatio seu similitudo Dei similitudo imaginis et similitudo vestigii: qua de causa Deus non imitatur univoce sed analogice a creaturis irrationalibus et a creaturis rationalibus. Sed et in ipsa repraesentatione imaginis est magna latitudo analogica: alia enim est imago naturalis et alia supernaturalis; et quidem supernaturalis alia est imago gratiae seu recreationis et alia imago gloriae seu similitudinis. Ac insuper sicut imago creationis aliter convenit essentiae animae, aliter potentiis, aliter habitibus, aliter actibus, et quidem his diversimode prout agitur de actibus circa ipsum Deum directe vel circa alia praeter Deum; ita imago supernaturalis tum recreationis tum glorificationis aliter convenit gratiae sanctificanti, aliter virtutibus theologalibus, aliter actibus earum.

828. Quae vero dicuntur analoga secundo modo, scilicet analogia *proportionalitatis*, sunt illa quorum nomen est idem, ratio autem significata per nomen in omnibus et singulis intrinsece inventa est simul simpliciter diversa et secundum quid, idest proportionaliter, eadem seu similis secundum proportionem plurium ad plura. In qua definitione seu potius descriptione habetur *quasi genus proximum*, scilicet notio communis analogiae, quando dicitur: illa, quorum nomen est idem, ratio vero significata per nomen est simpliciter diversa in diversis analogatis et secundum quid eadem; et *quasi ultima differentia* ab alio modo analogiae, nempe attributionis, quae exprimitur *duplici* nota: prima, quod ratio analoga significata per nomen sit intrinseca in omnibus et singulis analogatis et non in uno tantum sicut ratio analogiae attributionis; secunda, quod diversae habitudines

seu relationes, quas dicunt diversa analogata, unumquodque secundum modum suum, adunentur in una ratione communi proportionali non secundum terminum unum *numero*, ut analogata attributionis, sed secundum terminum unum *proportione*. Quo fit ut proportionalitas seu analogia conveniat analogiae proportionalitatis ex omni parte, dum analogiae attributionis solum convenit ex una parte tantum, nempe ex parte habitudinum non ex parte termini. Ex quo patet analogiam proportionalitatis esse analogiam simpliciter talem et per antonomasim, καθ' ἐσοχην; analogiam vero attributionis esse analogiam secundum quid tantum: unde et ipsa communis notio analogiae analogice convenit analogiae proportionalitatis et analogiae attributionis, eo fere modo quo notio communis entis analogice convenit substantiae et accidenti.

Quia ergo ratio analoga huius analogiae *intrinsece* invenitur in omnibus et singulis analogatis, in unoquoque suo modo, haec analogia unice fit secundum causalitatem *intrinsecam*, nempe secundum causalitatem *formalem* et secundum causalitatem *materialem*, prout dicit materiam non proprie loquendo informem sed *formatam* —sic enim materia intrat *definitionem* rei et connotatur in definitione *formae*, quas *ratio* analoga directe significat [1]—, maxime tamen secundum causalitatem formalem, cui primo et per se convenit quantitas virtualis seu perfectionis ideoque ratio et proportio transcendentalis. Quia vero causae formalis et efficiens et finalis incidunt quandoque in idem specie, immo et in idem numero, ideo in hac analogia secundum causalitatem formalem quandoque connotatur ratio agentis, quandoque ratio finis. Et inde est quod huiusmodi analogia fieri potest vel secundum proportiones *formales* seu *entitativas*, vel secundum proportiones *causales* seu *operativas* formae agentis vel finalizantis. Sic igitur quia forma potest esse et actus et informans et agens et finalizans, ideo sua proportionalitas quadrupliciter distinguitur, nempe in essendo, in informando, in agendo, in finalizando.

[1] Cf. Q. D. *De Anima*, a. 1, ad 15.

829. Praesertim vero haec analogia proportionalitatis distinguitur in *propriam* et *metaphoricam*. Nam ratio analoga seu proportionalis *intrinsece* inventa in omnibus analogis, aut reperitur *formaliter* et secundum *propriam* significationem in omnibus terminis proportionalibus *utriusque* rationis, et tunc dicitur analogia proportionalitatis *propriae* seu καθ' ὁμοιότητα, ut ait Aristoteles [1], ut si dicam: sicut sensus proprius non fallitur circa sensibile proprium, ita nec intellectus circa proprium intelligibile, et universaliter nulla potentia vel habitus circa proprium et formale obiectum; aut *formaliter* et secundum *propriam* significationem invenitur ratio analoga in terminis proportionalibus *alterutrius* rationis *tantum*, dum in terminis alterius invenitur *virtualiter* et secundum *impropriam* ac *translatam* significationem, quo in casu dicitur analogia proportionalitatis *metaphoricae* seu κατὰ μεταφοράν, ut dicit Stagirita [2], quae solum fit secundum similitudinem operationis vel effectus, non secundum similitudinem essentiae vel naturae, sicut aliquis homo dicitur leo quia similiter se habet in impetendo adversarios suos sicut leo in suos, nempe fortiter et audacter; vel sicut Deus dicitur Sol ex eo quod sicut Sol illuminat omnia corpora, ita Deus illuminat omnes spiritus: item, «sicut se habet aqua ad abluendas maculas corporales, ita gratia [baptismalis] ad abluendum spirituales» maculas omnium peccatorum [3].

830. Haec analogia proportionalitatis propriae, quae potissima est et quasi summum analogatum ipsius analogiae, latissime patet tum in ordine essendi tum in ordine operandi; sive in rebus philosophicis sive in rebus theo-

[1] Aristoteles, *VII Physic.*, IV, 11, II, 340, 20; *VIII Metaph.*, I, 3, II, 564, 18.
[2] *IV Metaph.*, XII, 9. II, 525, 13-14; *III Rhetoric.* II, 9, I, 307, 28.
[3] S. Thomas, *IV Sent.*, d. 1, a. 1, qla. 5, ad 3.

logicis; sive denique fiat inter proportiones finite distantes sive infinite.

Ita, analogia proportionalitatis propriae dicitur de *ente*, prout praedicatur de substantia et accidenti, quia sicut substantia se habet ad suum esse ita accidens ad suum; et pariter prout dicitur de Deo et creaturis, quia ita se habet Deus ad suum esse sicut creatura ad suum. Dicitur etiam de causis ad invicem comparatis, quae sunt ad invicem causae: sicut enim forma est causa materiae dando ei proprium esse, ita materia est causa formae recipiendo hoc idem esse [1]: et similiter sicut finis est causa efficientis quantum ad rationem agendi, ita agens est causa finis quantum ad esse eius: et sicut finis movet quoad specificationem, ita agens movet quoad exercitium. Quam analogiam causalitatis efficientis et finalis splendide evolvit S. Thomas his verbis: «sicut influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari; et ideo, sicut secundarium agens non agit nisi per virtutem primi agentis exsistentem in eo, ita secundarius finis non appetitur nisi per virtutem finis principalis in eo exsistentem, prout scilicet est ordinatum in illud vel habet similitudinem eius: et ideo, sicut Deus, propter hoc quod est primum efficiens, agit in omni agente, ita propter hoc quod est ultimus finis appetitur in omni fine» [2]. Qua etiam ratione, comparando mutuam causalitatem materiae et formae ex una parte cum causalitate mutua agentis et finis ex alia, dicimus causalitatem materialem et efficientem esse proportionales causalitati formali et finali: ita enim se habet finis ad agens sicut forma ad materiam, ac similiter ita se habet agens ad finem sicut materia ad formam; nam finis est ratio agentis sicut forma est ratio materiae, et ideo sicut agens agit propter finem, ita materia recipit et patitur propter formam, siquidem forma est finis materiae.

[1] Cf. *III Sent.*, d. 1, q. 1, a. 1, ad 3.
[2] *De Verit.*, q. 22, a. 2.

831. Postremo notandum est quod, sicut materialiter coincidunt in eadem re analogia attributionis et proportionalitatis secundum rationes formales diversas, quando scilicet secundaria analogata intrinsece participant rationem analogam summi analogati, ut ratio entis in substantia et accidenti vel in Deo et creatura: simul enim accidens dicitur ad substantiam sicut ad causam efficientem et finalem et exemplarem et subiectum attributionis, ac insuper suo modo habet esse sicut substantia suum: ac similiter ens creatum relate ad Deum, ad quod habet relationem sicut ad causam efficientem et finalem et exemplarem, ac insuper esse proprium habet sicut Deus suum; ita etiam analogia proportionalitatis propriae et metaphoricae conveniunt quandoque eidem rei secundum rationes formales diversas. Exempli gratia, nomen *lux*, si *proprie* sumatur secundum quod est qualitas quaedam corporalis, *metaphorice* transfertur ad spiritualia et divina, quia nihil per se sensibile et corporale dicitur proprie de spiritualibus, et ita lux spiritualis dicitur lux in quantum similem *effectum* habet respectu intellectus quem habet lux corporalis respectu visus corporalis; sin autem sumatur lux *largo modo* pro omni eo quod est manifestativum alicuius quocumque modo, sic proprie extenditur ad corporalia et spiritualia et divina: «dicitur enim lux in spiritualibus illud quod ita se habet ad manifestationem intellectivam, sicut se habet lux corporalis ad manifestationem sensitivam» [1]. Et idem dicendum est de nomine correspondenti *visio*, quae non solum metaphorice sed et proprie dicitur de actu sensus visus et de actu intellectus creati vel increati, itemque de actu visionis naturalis et supernaturalis intellectus creati: et de nomine *evidentia* prout dicitur de sensibili et intelligibili, naturali et supernaturali, intrinseca, seu veritatis et extrinseca seu credibilitatis.

[1] *II Sent.*, d. 13, q. 1, a. 2; I, q. 67, a. 1.

Art. 3.- Proprietates seu leges analogiae

832. Propietates seu leges propriae analogiae se habent ad ipsam sicut propria accidentia ad substantiam vel speciem, nempe in secundo modo dicendi per se, sicut risibilitas de homine. Harum autem consideratio valde utilis est non solum ad cognoscendam et discernendam quasi a posteriori veram analogiam, sed etiam ad usum eius et applicationem diversis analogis realibus philosophicis et theologicis: oportet siquidem analogiam docentem diversimode temperari per analogiam utentem secundum exigentiam materiae realis cui applicatur. Quae quidem applicatio concreta fieri debet ex propriis a singulis disciplinis realibus, eo fere modo quo logica docens applicatur diversimode a diversis disciplinis realibus philosophicis et theologicis.

Sunt autem huiusmodi leges seu proprietates analogiae duplicis generis: quaedam generales seu communes omnibus modis analogiae, quia sunt proprietates analogiae ut sic; aliae sunt speciales seu propriae singulis analogiae modis, nempe analogiae attributionis vel analogiae proportionalitatis.

§ I

PROPRIETATES GENERALES ANALOGIAE

833. Proprietates generales analogiae sunt duplicis classis: quaedam ei convenientes sub respectu ontologico seu metaphysico; aliae vero sub respectu logico. Qua de causa vocari possunt proprietates ontologicae et proprietates logicae.

A. *Proprietates ontologicae analogiae.*

834. *Prima* proprietas, eaque fundamentalis, analogiae in eo reponitur quod *analogia ipsa est analoga.* Hoc

apparet ex eo, quod analogia afficit ens in quantum ens, quod analogum est; et praedicatur de Deo et creaturis, inter quos tamen nihil univoce praedicatur, secundum illud S. Thomae: «impossibile est aliquid praedicari de Deo et creaturis univoce» [1], «quia —ut docet Concilium Lateranense IV— inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari quin inter eos maior sint dissimilitudo notanda» [2].

Praeterea, ut apparet ex eius notione per viam inductivam, analogia seu proportio consequitur notionem quantitatis in tota sua latitudine, prout complectitur quantitatem tum dimensivam tum virtualem et utrobique ut involvit rationes similes seu proportionales plurium ad unum vel ad plura. Atqui quantitas ipsa est analoga ad dimensivam et transcendentalem et pariter ratio similitudinis proportionalis seu proportionis similis, prout dicitur de una vel de altera quantitate. Ergo evidenter analogia ipsa est analoga.

Et hoc est quod expresse docuerunt quidam expositores Aristotelis et S. Thomae. Ita Dexippus scribit: «aequivocum, quantum ad nomen solum commune spectat, aequivocum est» [3]. Et clarius Ammonius: «aequivocorum autem praeceptionem per aequivocas voces confecit [Aristoteles], nam *idipsum quoque aequivocum aequivocum est*, cum pluribus modis dicatur [4].

Et idem dicunt Araujo et Lerma, O. P. [5].

835. Et quia semper prius salvatur in posteriori, necesse est quod omnia quaecumque analogice ut sic conveniunt, sint analoga. Unde sequitur statim *altera*

---

[1] I, 13, 5c.
[2] Concilium Lateranense IV, cap. 2. Denz. 432.
[3] Dexippus, *In Praedicamenta Aristotelis,* lib. I, cap. 11, fol. 30a. Venetiis 1546.
[4] Ammonius, *In Praedicamenta Aristotelis,* fol. 3, col. 4, Venetiis 1550.
[5] F. Araujo, *In IV Metaph.,* q. 2, a. 1, n. 5; C. Lerma, *In Logicam Dominici Soto,* lib. 6, q. 7.

proprietas, scilicet *analogiam habere superioritatem analogam respectu modorum eius*, hoc est, habere *abstractionem* analogam qua ab illis *praescindat* analogice et *unitatem* analogam qua ad eos analogice *descendat*. Quo fit ut analogia et analogum non sint proprie universale —quod univocum est—, sed *transcendens* —quod analogum est—; et ideo analogia vagatur per diversa genera, quod de univocitate non potest dici: Unde analogum includit sua analogata non in potentia tantum sicut univocum sua inferiora, sed in actu, non tamen explicite et distincte sed implicite et confuse, sicut ens dicitur id quod quocumque modo est vel habet esse; non determinando explicite hunc vel illum modum.

Et quia abstractio entis a suis inferioribus est potius abstractio formalis et realis quam totalis et logica, quae propria est univocorum, dicendum est analogiae convenire proprie loquendo *abstractionem formalem*, qua forma abstrahit a materia et actus a potentia et exsistentia ab essentia et esse a differentiis et modis entis. Hac enim abstractione tanto aliquid perfectius et actualius est quanto abstractius.

B. *Proprietates logicae analogiae.*

836. Huiusmodi etiam proprietates analogiae sunt et reduci possunt ad tres, secundum tria quae considerantur in Logica, scilicet definitio seu conceptus, divisio et argumentatio.

Prima ergo proprietas logica analogiae est quod ipsa *habet conceptum formalem analogum.* Ratio est, quia conceptus formalis analogiae debet respondere conceptui eius obiectivo in quo fundatur, secus esset conceptus falsus. Atqui conceptus obiectivus analogiae est analogus, ut patet ex dictis, quia et ipsa analogia est analoga eique solum convenit abstractio formalis analogica a suis modis inferioribus. Ergo et conceptus formalis analogiae debet esse analogus.

837. *Secunda* est *analogiam analogice dividendam esse seu habere divisionem analogam.* Cuius ratio est, quia divisio respondere debet divisibili sicut actus potentiae; est enim divisio proprius actus divisibilis. Atquí analogia dividenda est analoga, ut patet ex dictis. Ergo analogia est analogice dividenda seu habere debet divisionem analogam.

Quid autem sit divisio analoga egregie exponit S. Thomas hisce verbis: «aliter dividitur aequivocum, analogum et univocum. Aequivocum enim dividitur secundum *res significatas*; univocum vero dividitur secundum *differentias*; sed analogum dividitur secundum *modos*. Unde cum ens praedicetur analogice de decem generibus, dividitur in ea secundum diversos modos: unde unicuique generi debetur proprius modus praedicandi» [1]. Et haec divisio est *quasi media* inter divisionem univocam et divisionem pure aequivocam, quia modus intrinsece imbibitus analogatis est essentialiter quid medium inter differentias extrinsecas quibus dividitur univocum et res quibus dividitur pure aequivocum. Et inde est quod *species*, in quas dividitur univocum, *aequaliter* participant naturam generis; dum e contra *modi*, in quos dividitur analogum, inaequaliter participant naturam analogam, ut patet in divisione entis per creatum et increatum et in subdivisione entis creati per substantiam et accidens vel per actum et potentiam; et in divisione substantiae per primam et secundam, quae est sicut divisio entis in ens reale et ens rationis; et in divisione boni per honestum, utile et delectabile, et in divisione peccati per mortale, veniale et originale. Sic ergo ratio communis analogiae inaequaliter participatur in analogia attributionis et in analogia proportionalitatis: nempe in hac perfecte et simpliciter, in illa vero imperfecte et secundum quid tantum.

838. *Tertia* proprietas est *analogiam praebere medium demonstrationis analogicae.* Talis enim est demon-

[1] S. Thomas, *I Sent.*, d. 22, q. 1, a. 3, ad 2.

stratio quale est *medium* eius. Atqui terminus analogus et potest et debet esse medium demonstrationis, quia vere realiterque est *unus*, cum habeat *unitatem* analogam: unitas autem analoga seu proportionalis est vera unitas, licet sit minus quam unitas univoca. Propter quod S. Thomas post Aristotelem distinguit unitatem veram ac realem in unitatem numericam, specificam, genericam et analogam [1], simul notans quod «minime habent de ratione unius que sunt proportione tantum» [2].

Hic tamen magna latitudo est consideranda. Medium enim analogum in scientiis experimentalibus plerumque solam probabilitatem afferre solet, quia imperfecte tantum cognoscitur et ut accidentaliter tantum simile; at in mathematicis et in metaphysicis et theologicis veram certitudinem et demonstrationem praebere potest, quia in his scientiis sumuntur proportiones entitativae et essentiales et necessariae, nempe desumptae ex propria structura materiae quam considerant. Fatendum est tamen saepe in theologia sacra syllogismos analogicos esse mere explicativos et illustrativos, non proprie loquendo demonstrativos, quia non intrinsece et perfecte et essentialiter in hac vita cognoscimus terminos analogice comparandos, qui sunt ipsa mysteria supernaturalia fidei: nihilominus, certo et vere ea cognoscimus per fidem, et sic fundamentum plene firmum hábetur solidae explicationis vel demonstrationis.

§ II

PROPRIETATES SPECIALES ANALOGIAE

839. Quia ergo sunt duo modi speciales analogiae proprie dictae, scilicet modus attributionis et modus proportionalitatis, consequenter proprietates speciales analogiae reduci debent ad duas classes, nimirum ad proprietates analogiae attributionis et ad proprietates analogiae proportionalitatis.

[1] *In V Metaph.*, lect. 8, n. 876.
[2] *De Carit.*, a. 4, obi. 10.

A. *Proprietates analogiae attributionis.*

840. Ut patet ex notione analogiae attributionis, ratio, quam significat nomen analogum hac analogia, invenitur intrinsice et formaliter in uno tantum, quod vocatur primum et principale analogatum: τὸ πρῶτον καὶ κυρίως [1], in ceteris vero extrinsece tantum et denominative per attributionem ad illud vel ab illo; unde ratio analoga huiusmodi analogiae est una eademque secundum terminum simulque diversa secundum diversas habitudines vel respectus ad illud. Ex quo statim sequuntur proprietates eius, quae sunt tres.

841. *Prima*, quod *forma illa analoga reduplicative et formaliter ut talis est in tota serie suorum analogorum una numero et non solum una ratione vel proportione.* Ratio enim analoga significata per nomen analogum huius generis invenitur formaliter in uno tantum illius seriei, nempe in Summo analogato, quod est unum *numero*: sicut patet in analogia *sani*, quod dicitur de cibo, de medicina, de diaeta, de pulsu, de aëre sanis per ordinem ad unam eandemque sanitatem unam numero, quae est in hoc vel illo animali. E contra, forma quam significat nomen univocum est una tantum ratione aequaliter descendens intrinsece ad omnia eius inferiora; et forma quam significat nomen analogum analogia proportionalitatis est una proportione tantum.

842. *Secunda* proprietas exinde consequens est quod *forma illa supremi analogati poni debet connotative seu in obliquo, ut aiunt, in definitione omnium analogatorum inferiorum.* Ratio est, quia definitio sumitur a forma rei

[1] Aristoteles, *IV Metaph.*, IV, 6. II, 517, 46-47; V, 6, ibid. 518, 32-33.

definiendae quae pro inferioribus analogatis est in supremo seu primo analogo tantum. Id ergo quod est tale *formaliter* debet poni connotative et in obliquo in definitione ceterorum quae sunt talia *denominative* tantum. Sicut in definitione medicinalis dicta de herba medicinali et instrumento medicinali et de libro medicinae et de schola seu facultate medicinae poni debet semper connotatio seu relatio ad medicinam formaliter dictam, quae est scientia et ars medendi in medico exsistens. Et idem patet in definitione quantitatis et qualitatis et aliorum praedicamentorum accidentalium in quantum sunt accidentia, ubi semper poni debet relatio et connotatio ad substantiam sicut ad proprium subiectum inhaerentiae. E contra, in definitione supremi analogati non debet poni ulla relatio et connotatio ad inferiora, quia non pendet ab eis neque ab eis denominatur; licet in eius definitione perfecta et formali debeat poni quod cetera inferiora possint dari et quod, si revera dentur, definiantur per ordinem ad ipsum. Sicut in definitione effectus necessario debet poni actu ordo ad propriam causam, a qua de facto dependet; at in definitione propriae causae non ponitur effectus actualis sed solum possibilis vel aptitudinalis, nisi concomitanter sit actu causans.

843. *Tertia* denique proprietas analogiae attributionis est quod *nomen analogum hac analogia, simpliciter prolatum, stat pro primo seu famoso analogato.* Quia unumquodque denominatur per suam formam, et ideo quod habet formam simpliciter denominatur simpliciter tale; sicut quando nominamus *ens* sine addito, intelligimus substantiam, quae est proprie quod est; et quando nominamus *bonum* simpliciter, intelligimus bonum honestum; et quando Aristoteles nominat Philosophiam sine addito intelligit Philosophiam Primam seu Metaphysicam, quae est summum analogatum philosophiae.

Ubi advertenda est naturalis gradatio, qua huiusmodi proprietates ordinate se consequuntur. Quia enim nomina sunt signa conceptuum et conceptus sunt signa rerum, ideo ex quo in analogia attributionis forma non est proprie nisi in summo analogato, sequitur quod illud tantum simpliciter intelligatur et simpliciter nominetur.

B. *Proprietates analogiae proportionalitatis.*

844. Similes proprietates conveniunt analogiae proportionalitatis, servato proprio eius modo; nam et analogia proportionalitatis et analogia attributionis analogice seu proportionaliter conveniunt, ut supra dictum est. Quae autem proportionaliter conveniunt proprietates proportionaliter similes habere debent.

845. Quia ergo forma analoga analogia proportionalitatis est *intrinsece et formaliter* in omnibus et singulis analogatis de quibus dicitur, si loquamur de analogia proportionalitatis *propriae,* sequitur statim *prima* eius proprietas, scilicet quod *forma illa formaliter seu reduplicative sumpta non est una numero neque una ratione, sed una tantum proportione;* nam significat formaliter rationes similes proportionaliter in diversis membris proportionis in quibus formaliter et intrinsece invenitur. Attamen, quia ratio haec inaequaliter verificatur in diversis membris proportionis, et insuper rationem unius proportionis prius cognoscimus quam rationem alterius, ordo quidam ad aliquod primum proportione unum datur etiam in hac analogia, et quidem: ordo perfectionis seu quoad se, et ordo generationis seu quoad nos, et sic in diverso genere causae explicamus unam per aliam rationem, nempe in via inventionis explicamus priorem quoad se per priorem quoad nos et in via iudicii priorem quoad nos per priorem quoad se. Sicut explicamus rationem lucis spiritualis per analogiam ad rationem lucis corporalis via inventionis, quia cognitio lucis corporalis est prior quoad nos; et postea in via iudicii profundius et formalius explicamus rationem lucis corporalis per rationem lucis spiritualis. Eo vel magis quod in hac analogia potius quam demonstrationes solent locum habere expli-

cationes et elucidationes, sicut relative ad cognitionem primorum principiorum: et huiusmodi processus spectat proprie loquendo ad sapientiam, ut facit Aristoteles in Metaphysica respectu entis et unius et causae et necessarii et perfecti et potentiae et actus et aliorum terminorum comunium seu transcendentium.

846. Ex quo infertur *secunda* proprietas, quod scilicet *in hac analogia primum analogatum non ponitur in definitione ceterorum.* Cum enim tale analogatum supremum proprie loquendo non detur in hac analogia, evidenter non potest poni in definitione inferiorum analogatorum. Proprie ergo loquendo dantur elucidationes et declarationes mutuae per vias diversas et quasi in diverso genere causae: nempe maior et perfectior, via inventionis et per deductionem geneticam ad sensum ex inferiori et minori; haec vero per maiorem via iudicii et in genere causae formalis per deductionem ad supremum modum quo verificatur talis analogia. Sicut videbamus in ipsamet notione analogiae, ubi analogiam metaphysicam via inventionis explicabamus per analogiam mathematicam; at postea via iudicii melius intelligebamus rationem formalem proportionis geometricae ex proportione metaphysica.

Est tamen hac in re magna animi flexibilitas et prudentia et sagacitas habenda, ne superiores modos iudicemus secundum inferiores, invertentes viam inventionis et viam iudicii: ac praesertim in metaphysica vitandus est mathematismus, sicut in theologia sacra naturalismus; sicut enim analogiam metaphysicam cognoscimus per analogiam ad analogiam mathematicam, ita analogias multas theologicas detegimus per analogiam ad analogias naturales.

847. *Tertia* denique proprietas huius analogiae est quod *unumquodque analogatorum formaliter sumptum denominat seipsum,* sicut unumquodque suam formam in se habet, a quo eius denominatio formalis sumitur.

Unde nomen analogum simpliciter prolatum non plus stat pro uno quam pro alio, sed supponit pro omnibus indifferenter et proportionaliter, sicut hoc nomen *principium* non plus stat pro eo unde incipit linea vel motus vel vita vel flumen vel dies, sed pro eo unde aliquid qualitercumque incipit: et pariter hoc nomen *persona* non plus stat pro humana vel angelica vel divina, sed pro subsistenti distincto intellectualis naturae, quodcumque denique sit distinguens et quaecumque sit intellectualitas naturae distinguendae et quicumque sit modus proprius subsistendi eius.

Sin auem loquamur de analogia proportionalitatis *metaphoricae,* tunc ratio analoga non solum est *prior* quoad nos in termino proprio quam in termino translato, sed etiam perfectior secundum modum suum formalem et proprium: qua de causa, in definitione membri translati debet poni ordo ad membrum proprie sumptum, non quidem ratione proportionalitatis, sed ratione dependentiae unius proportionis ab alia sicut ab exemplari, nam terminus proprius est quasi *exemplar* termini metaphorici, et sic accedit *materialiter* ad quendam modum analogiae attributionis. Quapropter etiam valet hic id quod de analogia attributionis dictum est, nempe nomen analogum simpliciter prolatum stat pro analogato proprie dicto, non pro analogato metaphorice sumpto; sicut nomen leonis simpliciter dictum intelligitur de animali fortiter et audacter operante, non de homine similiter se habente.

CAPUT II

APPLICATIONES ANALOGIAE AD SACRAM THEOLOGIAM

848. Consequenter videndae sunt nonnullae applicationes analogiae in Theologiam Sacram, quas in his collationibus reducimus ad tres: 1.° ad ipsam notionem Theologiae Sacrae; 2.° ad quaestionem de augmento habituum et virtutum; 3.° ad quaestionem de certitudine spei christiane.

Art. 1.- Notio Theologiae Sacrae est analoga

849. Prima ergo ac fundamentalis applicatio doctrinae de analogia est ad ipsam notionem Theologiae, quae analoga est.

Sane Theologia, vi nominis, significat universaliter cognitionem de Deo (=θεὸς - λόγος). Est autem huiusmodi cognitio multiplex et multipliciter habita. Deus enim cognoscit seipsum; cognoscunt etiam Deum angeli et homines beati. Sed et homines viatores Deum quoque

cognoscunt, et quidem multifariam multisque modis. Ipsum namque cognoscunt per rationem naturalem ex creaturis ut Causam ex effectibus; cognoscunt eum praeterea per lumen supernaturale ab ipso Deo gratis ipsis collatum, nimirum et per lumen prophetiae et per lumen fidei et per lumen donorum Spiritus Sancti intellectualium; ac denique cognoscunt ipsum per scientiam fidei, quae est habitus Theologiae Sacrae presse dictae. Sensu ergo latissimo, vero tamen realique, nomen *Theologia* dicitur octupliciter, nempe:

1) de cognitione *increata*, quam Deus habet de seipso quaeque ideo appellatur theologia *increata*;

2) et de cognitione *creata*, quam de Deo habent creaturae intellectuales, homo scilicet et angelus, quaeque idcirco vocatur theologia *creata*.

3) Quod si haec habeatur ex naturali lumine rationis, nomen obtinet Theologiae *naturalis*;

4) sin autem ex lumine supernaturali divinae revelationis, dicitur theologia *supernaturalis*: et quidem

5) si huiusmodi revelatio sit plena et aperta, ut accidit in patria, appellatur theologia *beatorum*;

6) sin vero sit adhuc obscura et aenigmatica, nominatur theologia *viatorum*:

7) sive haec dicatur *per se infusa*, ut theologia quae habetur per lumen propheticum vel fidei vel donorum Spiritus Sancti intellectualium;

8) sive *acquisita* ex principiis fidei, ut est habitus nostrae Theologiae Sacrae.

850. Atqui huiusmodi diversae significationes reales verbi *Theologia* non sunt univocae, neque pure aequivocae, sed analogicae analogia tum attributionis tum proportionalitatis propriae.

Non sunt univocae, quia univoca non sunt nisi quae conveniunt saltem in uno genere praedicamentali presse

dicto. Hoc autem non accidit in praesenti, quia creati et increati non est unum genus, cum Deus non sit in genere contentus; similiter neque naturalis et supernaturalis est idem genus, quia supernaturale quoad substantiam transcendit totam naturam creatam et creabilem.

Huc accedit quod cognitio Dei realis et vera, quam importat universaliter nomen *Theologia*, *non aequaliter* convenit cognitioni increatae quam Deus habet de seipso et cognitioni creatae quam creaturae intellectuales de eo habent, sed in infinitum distant: item cognitiones Dei quas habemus ex eius revelatione et ex ratione naturali, *non parificantur*, sed tantum fere differunt sicut cognitio naturalis sensitiva et intellectiva; sicut enim cognitio sensitiva est naturaliter praeambula ad cognitionem intellectivam, ita cognitio naturalis est praeambula ad supernaturalem: gratia siquidem supponit naturam sicut rationale supponit animal. Constat autem rationem univocam *aequaliter* convenire omnibus suis inferioribus, sicut definitio animalis rationalis aequaliter convenit omnibus hominibus. Propter quod S. Thomas docet nostram Theologiam Sacram differre *secundum genus* a Theologia naturali seu philosophica[1], et animadvertit quod «si esset aliqua scientia [de Deo] quae non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum aliis scientiis, *nec univoce* scientia diceretur»[2]; sicut virtus moralis infusa et acquisita non conveniunt univoce.

Neque pure aequivocae, quia non solum conveniunt in nomine sicut pure aequivoca, sed etiam aliquo modo in ratione significata per nomen, quia conveniunt in uno eodemque Deo cognito et similitudinem quandam habent in modo illum cognoscendi, quatenus sicut Deus seipsum cognoscit secundum modum suum, ita et nos secundum

[1] S. Thomas, I, q. 1, a. 1, ad 2.
[2] *III Sent.* d. 33, q. 1, a. 2, qla. 4, n. 74.

modum nostrum; unde et per unam cognoscimus proportionaliter aliam; nam cuiuslibet cognoscentis cognitio fit secundum modum suae naturae [1].

Sunt ergo *analogicae*. Se habet enim theologia increata ad theologiam creatam sicut theologia per essentiam et theologiam per participationem: quae rursus ad invicem se habent sicut ens per essentiam ad ens per participationem. Sicut ergo nomen *ens* analogice dicitur de ente per essentiam et de ente per participationem, ita et nomen *Theologia* dicitur analogice de theologia increata et de theologia creata. Propter quod, cum Theologia increata Dei sit scientia et sapientia et formalis beatitudo eius, pariterque Theologia creata creaturae intellectualis sit scientia et sapientia et beatitudo formalis ipsius perfecta vel imperfecta; eodem iure Theologia dicitur analogice de increata et creata, sicut dicitur scientia et sapientia et formalis beatitudo, quibus expresse S. Thomas analogiam tribuit [2]. Ac insuper disserte affirmat soli Deo convenire cognitionem sui secundum modum Dei, creaturis vero intellectualibus convenire tantum secundum modum creatum: «non possumus, inquit, veritatem divinorum secundum modum *suum* capere, et ideo oportet quod nobis secundum modum *nostrum* proponatur» [3]. Et alio in loco: «divinorum notitia *dupliciter* potest aestimari. Uno modo, ex parte *nostra*, et sic nobis [naturaliter] cognoscibilia non sunt nisi *ex creaturis*, quarum notitiam *a sensu* accipimus. Alio modo ex natura *ipsorum*, et sic ipsa sunt *ex seipsis* maxime cognoscibilia. Et quamvis secundum modum *suum* non cognoscantur [naturaliter] a nobis, tamen a Deo cognoscuntur et a beatis secundum modum *suum*. Et sic *de divinis duplex scientia* habetur: una secundum modum *nostrum*, quae sensibilium principia accipit ad

---

[1] I, 12, 4.
[2] Cf. *I Sent.* d. 35, q. 1, a. 4; I, 13, 5c; *IV Sent.*, d. 49, q. 1, a. 2, qla. 1, ad 1.
[3] *I Sent.*, d. 34, q. 3, a. 1c.

notificandum divina, et sic de divinis *philosophi* scientiam tradiderunt, Philosophiam Primam *divinam scientiam* [=Theologiam] dicentes; alia secundum modum *ipsorum divinorum*, ut ipsa divina secundum *seipsa* capiantur: quae quidem *perfecte* nobis in statu viae est impossibilis, sed fit nobis in statu viae quaedam illius cognitionis *participatio* et *assimilatio* ad cognitionem *divinam*, in quantum per *fidem* nobis *infusam* inhaeremus ipsi Primae Veritati propter seipsam» [1].

851. Est autem huiusmodi analogia et *attributionis* et *proportionalitatis propriae. Attributionis* quidem: quia omnes modi theologiae creatae seu participatae dicuntur ab uno et ad unum et quodammodo in uno, nempe ad theologiam increatam ipsius Dei secundum quadruplex genus causae, videlicet finalis, efficientis, exemplaris et quasi materialis ut haec sumitur pro subiecto proprio attributionis seu praedicationis.

852. Secundum genus causae *finalis*, quia omnes theologiae creatae dicuntur tales in quantum directe vel indirecte, per se vel per aliud ordinantur ad theologiam creatam beatorum, quae est formalis beatitudo supernaturalis: nempe theologiae supernaturales viatorum ordinantur per se et directe, naturalis vero per supernaturalem, ad theologiam beatificam ut ad ultimum finem *quo*; haec vero ordinatur ad ipsum Deum ideoque ad theologiam increatam quae est unum cum Deo, ut ad ultimum finem obiectivum et proprium *cuius gratia*. Sicut enim caritas ordinat omnes actus ceterarum virtutum tam naturalium quam supernaturalium ad proprium finem et obiectum quod est ipsa bonitas divina beatificans; ita lumen gloriae, quod est habitus essentialiter beatificus, omnes cognitiones Dei explicitas vel implicitas, naturales vel supernaturales, ordinat ad proprium obiectum et finem, qui est ipsa divina essentia intuitive

---

[1] *In Böetium de Trinitate*, q. 2, a. 2c.

videnda. Propter quod S. Thomas profunde docuit quod «omnes scientiae et artes ordinantur in unum, scilicet ad hominis perfectionem, quae est eius beatitudo» naturalis [1], quae in actu Theologiae naturalis consistit: quo in sensu dicit iterum quod «totius Philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinatur; propter quod Metaphysica, quae *circa divina* versatur [=Theologia naturalis], inter philosophiae partes *ultimo* remanet addiscenda» [2]. Haec vero naturalis et imperfecta Dei cognitio ulterius ordinatur ad cognitionem Dei propriam et perfectam, quae est cognitio supernaturalis beatifica prout habebitur in patria: secus suo fine ultimo et principali frustraretur ac in insipientiam verteretur, dicente rursus Aquinate quod humana sapientia seu Philosophia «tamdiu est sapientia quamdiu est subiecta sapientiae Divinae; sed quando recedit a Deo, tunc vertitur in insipientiam» [3]. Quod si haec ordinatio fiat, verificatur illud eiusdem S. Doctoris: «consideratio scientiarum speculativarum [philosophicarum] est quaedam participatio verae et perfectae beatitudinis» [4].

853. Secundum genus causae *efficientis*, quia omnis cognitio creata Dei derivatur a Deo seipsum cognoscente sicut a prima causa efficienti, in quantum Deus est Prima Causa efficiens luminis naturalis et supernaturalis quo intellectus creatus potest Deum cognoscere; infundit enim nobis lumen gratiae et concreavit una cum anima nostra rationali potentiam intellectivam, quae est ipsum lumen naturale intellectus nostri: ac insuper, in quantum Deus movet secundum modum suum utrumque lumen ad actum intelligendi. Qua de causa, nullus potest esse conflictus verus inter has diversas cognitiones creatas Dei, quia omnes sunt a Deo operante et coo-

[1] *Prooemium in Metaph. Aristotelis.*
[2] *I Contra Gent.* cap. 4.
[3] *In I Cor.* cap. XV, lect. 5, ed. Marietti, p. 399b.
[4] I-II, q. 3, a. 6c in fine.

perante nobiscum: Deus autem negare seipsum non potest, ut docet Concilium Vaticanum [1].

854. Secundum genus causae *exemplaris*, quia omnes modi Theologiae creatae theologiam increatam suo modo *imitantur* secundum magis et minus, prout magis et minus accedit ad ipsam. Et sic primo eam imitatur theologia beatorum; deinde theologia fidei quoad substantiam cognitionis et theologia donorum Spiritus Sancti quoad modum evidentiae, quem postulant; tertio, habitus nostrae theologiae sacrae acquisitus ex principiis fidei; ac denique habitus Theologiae naturalis, quae est ultima resonantia cognitionis de Deo. Propter quod S. Thomas theologiam nostram supernaturalem appellat *sigillationem* quandam directam et immediatam divinae scientiae seu theologiae increatae in nobis [2]; naturalem vero vocat *sigillationem* indirectam et mediatam, nempe mediantibus creaturis cognitis quas ipse immediate condidit, nam «sicut scientia in nobis est sigillatio rerum in animabus nostris, ita e converso formae [earum] non sunt nisi quaedam sigillatio divinae scientiae in rebus» [3]. Quo fit ut, sicut cera ascendit ad sigillum, illud suo modo imitando, ita et theologia creata ascendit ad theologiam increatam ad eamque accedit magis vel minus pro modo quo eam imitatur ac refert [4].

855. Secundum genus etiam *subiecti* seu causae quasi *materialis* ut *subiecti attributionis*, quatenus theologia seu cognitio Dei plene et perfecte iuxta totam vim nominis soli Deo convenit, non creaturis. Solus enim Deus seipsum naturaliter et comprehensive cognoscit prout est in se; creaturis vero intellectualibus hoc convenit solum in quantum sunt quodammodo divinae seu unum

[1] Concilium Vaticanum, Sess. III, cap. 4. Denz. 1797.
[2] *In Böetium de Trinitate*, q. 3, a. 1, ad 4; I, q. 1, a. 3, ad 2.
[3] *De Verit.*, q. 2, a. 1, ad 6.
[4] Cf. S. Albertum Magnum, *Summa theol.*, prol. p. 2; et S. Thomam, *II Contra Gent.*, cap. 2, 4°.

cum Deo: nempe cognitio supernaturalis convenit intellectui deiformato seu deificato lumine supernaturali gloriae vel fidei vel donorum Spiritus Sancti; naturalis vero in quantum homo est imago Dei per intellectum suum quasi per rationem superiorem vel secundum faciem eius superiorem, qua proprie est spiritus. Eo ergo fere modo, quo sanitas dicitur de solo animali sicut de proprio subiecto; de aliis vero sanis secundum ordinem dispositionis vel signi vel causae sanitatis huiusmodi: ita theologia proprie et perfecte dicitur de solo Deo; de creaturis vero Deum cognoscentibus secundum quod sunt quodammodo divinae seu imago Dei per naturam vel per gratiam vel per gloriam, nimirum secundum imaginem creationis, recreationis vel glorificationis. Unde vel ipse Aristoteles, loquens de theologia naturali, dixit quod haec non est humana possessio, sed divina [1]. Quo in sensu, omnis nostra theologia creata non est nisi *signum* quoddam vel *similitudo* imperfecta theologiae ut sic, quae soli Deo convenit ut proprio subiecto attributionis vel praedicationis.

Est ergo theologia increata ipsius Dei supremum analogatum omnis theologiae creatae vel creabilis; et ideo in formali definitione cuiuslibet theologiae creatae debet poni ordo ad theologiam increatam ipsius Dei ut ad proprium subiectum attributionis et causam finalem, efficientem et exemplarem [2].

856. Sed praeterea haec analogia est *proportionalitatis propriae*. Omnibus enim theologiis intrinsece convenit vera Dei cognitio et non per meram denominationem extrinsecam. Vere siquidem ac realiter cognoscunt Deum non solum Deus, sed et beati in caelo et fideles ac mystici in terris degentes et theologi presse dicti et philosophi seu theologi naturales, quamvis modo valde

[1] Aristoteles, *I Metaph.*, cap. II, nn. 9-10. II, 471.
[2] Cf. S. Thomam, *I Sent.*, d. 35, q. 1, a. 4, ad 2; *II Sent.* d. 4, q. 1, a. 1c.

diverso, iuxta proprium modum cognoscentium. Cuius ratio est, quia «cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente; cognitum autem est in cognoscente secundum modm cognoscentis: unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae» [1]. Sicut ergo Deus seipsum cognoscit secundum modum suum, nempe infinite et comprehensive; ita nos Deum cognoscimus secundum modum nostrum, scilicet finite et apprehensive tantum [2].

Est autem valde notandum quod modus divinus et modus humanus non stant in indivisibili; sed multipliciter dicuntur. Est enim modus cognoscendi Deum pure divinus ;est modus pure humanus; est insuper modus quasi medius inter pure divinum et pure humanum, nempe modus partim divinus et partim humanus vel etiam creatus, ita ut comparatus ad extremum pure divinum videatur humanus vel creatus, et comparatus ad extremum pure humanum videatur divinus, iuxta effatum illud: «medium comparatum uni extremo videtur alterum extremum, sicut tepidum comparatum calido videtur frigidum» [3].

857. Modus *pure divinus*, quo Deus seipsum cognoscit, ideoque theologiae increatae Dei, exprimitur quadruplici formula:

Prima: Deus propriam essentiam prout est in se *naturaliter* cognoscit;

Secunda: eam naturaliter cognoscit *absque ullo medio* obiectivo vel subiectivo a se distincto, sed omnino immediate per seipsum;

Tertia: Deus seipsum adaequate vel comprehensive cognoscit quantum secundum seipsum cognoscibilis est;

Quarta: consequenter scientia vel cognitio Dei est

[1] I, q. 12, a. 4.
[2] Cf. I, 12, 7; 14, 3.
[3] I, q. 50, a. 1, ad 1.

identica re cum ipso Deo cognito, ideoque non est accidens neque creatura, sed propria essentia increata Dei.

858. Modus *pure creatus* est qui convenit creaturae intellectuali naturaliter seu ex propriis sui, et exprimitur quadruplici formula opposita, scilicet;

Prima: nulla creatura naturaliter cognoscit Deum quidditative seu propriam essentiam Dei prout est in se;

Secunda: nulla creatura naturaliter cognoscit Deum omnino immediate seu absque ullo medio tum obiectivo tum subiectivo;

Tertia: nulla creatura cognoscit Deum adaequate seu comprehensive;

Quarta: nullius creaturae cognitio est propria eius essentia multoque minus cognitio Dei. Attamen vere ac realiter cognoscit exsistentiam Dei, et negative ac relative eius essentiam aliquo modo attingit.

Sed iste modus est duplex: alter pure humanus; alter angelicus et proportionaliter animae separatae, quae in modo cognoscendi angelis assimilatur.

859. Modus *pure humanus* et *naturalis* est modus intellectus humani in statu animae unitae corpori; et includit tria:

Primo: procedere ex sensibilibus abstractis et intellectis;

Secundo: procedere ex illis intellectis, componendo et dividendo seu enuntiabilia formando;

Tertio: procedere insuper discurrendo ex ipsis ut ex effectibus ad Deum ut ad Primam causam eorum.

860. Modus *pure angelicus naturalis et animae separatae a corpore* involvit alia tria:

Primo: procedere ex propria essentia immediate et quidditative cognita;

Secundo: procedere sine discursu vel sine demonstratione;

Tertio: procedere sine compositione et divisione seu sine enuntiationibus, sed per contuitionem quandam Primae et Propriae Causae in propria eorum essentia immediate visa ut in proprio effectu eius.

861. E contra, modus *supernaturalis* cognoscendi Deum, qui convenit creaturis intellectualibus, non est pure creatus et naturalis; sed habet aliquid modi *divini*, in quantum supernaturalis seu ex Deo est; et aliquid *creati*, in quantum recipitur in creatura et a creatura elicitur.

Iste autem modus *divino-creatus* potest esse triplex: divino-humanus, divino-angelicus et divino-creatus tantum, quasi comunis angelis et hominibus eorumque proprias differentias transcendens.

862. Est modus *divino-humanus* vel, ut ait S. Thomas, secundum modum Dei et secundum modum nostrum simul[1], modus quo Deus supernaturaliter cognoscitur a nobis in hac vita praesenti. Quia ergo *divinus* est, nempe ab ipso Deo immediate descendens per revelationem et non a sensibilibus ascendens per abstractionem, ut in cognitione naturali, ideo removetur ab eo primus modus pure humanus, qui erat ex sensibilibus procedere. At quia simul *humanus* est, utpote animae unitae corpori corruptibili qui aggravat ipsam, retinere potest suo modo duos alios modos pure humanos, nempe: 1.° modum cognoscendi Deum et divina per compositionem et divisionem seu enuntiabilia formando; et sic revera cognoscimus Deum per lumen propheticum et per lumen fidei et per lumen donorum Spiritus Sancti intellectualium, quae tamen non sunt discursiva sed mere iudicativa immediate; 2.° modum cognoscendi Deum etiam *discurrendo* a principiis ad conclusiones seu *ratiocinando*, qui est modus proprius cognoscendi intellec-

[1] *In Boetium de Trinitate*, q. 2, a. 2.

tus humani qui *rationalis* seu discursivus est; et hic est modus cognoscendi Deum per habitum Theologiae Sacrae presse dictae. Quia ergo Theologia procedit *discurrendo* ex principiis fidei ad eorum explicationem et defensionem et modus fidei est divinus dum modum discursus est humanus, ideo oculatissime S. Thomas modum proprium theologiae nostrae in hoc statu viatorum appellavit secundum modum Dei et secundum modum nostrum simul, scribens: «sicut Deus, ex hoc quod cognoscit se, cognoscit alia *suo modo*, idest *simplici intuitu, non discurrendo*; ita nos, ex his quae fide capimus Primae Veritati inhaerendo, venimus in cognitionem aliorum secundum modum nostrum, scilicet *discurrendo* de principiis ad conclusiones. Unde primo ipsa quae fide tenemus sunt nobis quasi prima principia in hac scientia, et alia sunt quasi conclusiones» [1].

863. Est modus *divino-angelicus et animae separatae*, ut sunt animae in purgatorio degentes et animae fratrum in limbo detentae usque ad Christi mortem et resurrectionem, modus sine compositione et divisione et sine discursu, sive agatur de cognitione Dei per lumen infusum prophetiae, fidei et donorum Spirtus Sancti intellectualium, sive per lumen stricte theologicum, quo sine ulla compositione et divisione et absque ullo discursu proprie dicto seu secundum causalitatem vident conclusiones contentas in principiis fidei.

864. Est denique *modus creatus* has omnes differentias transcendens sive in statu viae sive in statu termini seu beatitudinis. In *statu viae* tam hominibus quam angelis et animabus separatis convenit cognitio Dei *obscura* et *mediata* et *negativa*, scilicet per medium obiectivum creatum, saltem *quo* et *in quo*; at in *statu termini* eis convenit cognitio Dei *clara* et *positiva* et omnino *immediata* ex parte obiecti, non tamen adaequa-

---

[1] *In Boetium de Trinitate*, q. 2, a. 2.

ta vel comprehensiva, quia necessario fieri debet per medium subiectivum creatum, quod est lumen gloriae [1].

Iste ergo modus, quo Deus in patria cognoscetur per theologiam beatificam, est *perfecte deiformis* si comparetur ad ceteros modos cognoscendi ipsum in hac vita; attamen, si comparentur cum modo pure humano, dicuntur cognitiones deiformes diverso gradu diversaque ratione cognitio Dei per fidem et per contemplationem mysticam ope donorum Spiritus Sancti intellectualium et per theologiam sacram et naturalem angelorum et animae separatae et per theologiam sacram presse dictam.

865. Ex quibus omnibus facile est *propriam structuram* et *conditiones* nostrae theologiae presse dictae videre et intelligere. Est enim sacra theologia nostra veluti media inter theologiam pure infusam vel supernaturalem, quae in habitibus cognoscitivis Dei infusis consistit, et theologiam pure naturalem seu philosophicam quae in habitu cognoscitivo Dei acquisito consistit, cum sit habitus redicaliter seu originative supernaturalis, licet formaliter seu in se sit habitus naturalis et acquisitus per proprium studium ex principiis fide divina susceptis. Nec enim gratia fidei naturam nostrae intellectus eiusque connaturalem modum cognoscendi destruit, sed perficit et elevat. Ex quo principio S. Thomas profunde deduxit hanc conditionem essentialem theologiae nostrae viatorum, scilicet eam esse argumentativam seu discursivam [2], propter modum connaturalem defectuosum intellectus nostri in statu praesentis vitae, non propter conditionem vel modum ipsius obiecti secundum se [3].

866. Si ergo comparetur ad habitus *superiores* seu per se infusos, dicendum est eam esse veram *scientiam*

---

[1] Cf. *De Verit.*, q. 18, a. 1.
[2] I, q. 1, a. 8, ad 2.
[3] I, q. 1, a. 5, ad 1; q. 12, aa. 11-13.

de Deo et quidem *subalternatam*. Si enim comparetur ad habitum *fidei*, a quo essentialiter dependet, veram habet rationem *scientiae*, quia fides se habet ut habitus principiorum dum theologia se habet ut habitus conclusionum. Habitus autem conclusionum appellatur proprie loquendo *scientia*. Unde et theologia vocatur *scientia fidei*, tum quia principia propria ex fide suscipit, tum etiam quia ope analogiarum naturalium et supernaturalium facit aliquo modo scire et videre ea quae fide tenemus.

Quam conditionem theologiae nostrae S. Thomas egregrie explicat ex analogia cum scientiis ordinis pure naturalis. «*Sicut*, inquit, habitus principiorum primorum non acquiritur per alias scientias sed habetur a natura, sed acquiritur habitus conclusionum a primis principiis deductarum: *ita* in hac doctrina non acquiritur habitus fidei qui est quasi habitus principiorum, sed acquiritur habitus eorum quae ex eis deducuntur et quae ad eorum defensionem [et explicationem] valent» [1].

